# GEORGII
TRAPEZONTII VIRI AETATIS ſuæ doctiſſimi Dialectica breuis, ſed iudicio omnium eruditorum abſolutiſſima, in gratiam ſtudioſorum denuo nuper excuſa,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

# QVAE HOC VOLVMINE CONTINENTVR.

De enuntiatione.
De quinq; uocibus, id eſt prædicabilibus.
De prædicamentis.
De ſyllogiſmo categorico, id eſt, prædicatiuo.
De ſyllogiſmo hypothetico ac conditionali.
De enthymemate, id eſt, ſyllogiſmo imperfecto.
De diffinitione ac diuiſione.
De theſi, ne quid aut dicendo, aut ſcribendo abſurdum pugnánsue dicatur.

# GEORGII TRAPEZONTII DIALECTICA

DIALECTICA eſt diligens diſſerendi ratio. Diſſerere uero nemo poterit diligenter, niſi quę inuenerit, dicendaq́ iudicauerit, ea ſic cōiunxerit, ut illis datis, quod intendit neceſſario conſequat̃, quam orationem Græci ſyllogiſmum dicunt, Latini uero ratiocinationem appellare poſſunt. Ea ꝓpoſitionibus cōſtat. Omnis propoſitio, ſi ſimplex eſt, duobus terminis, ſubiecto atq; prædicato cō nectitur. Quoniā ergo ſyllogiſmoꝝ elemēta ſunt, ex quibus conſtant, & ad quos reſoluūtur (nec enim componendo altius repetere, nec reſoluendo lōgius abire poſſumus) de his primum dicamus. Verum dialecticorū more, ut de quo termino ſermo nobis habetur intelligas, uocem in ſignificationes ſuas primum diuidamus.

Termini ſignificationes

Termini ergo, locorum fines appellati ſunt, qui locum à loco diſtinguant atq; ſeparent. Vnde Græci ſimilitudine ducti ὅρους id eſt (uerbum de uerbo) terminos, diffinitiones appellarunt. Diſiungunt enim atq; diſſeparant diffinitiōes uniuſcuiuſq; ſubſtantiam, cum differentias tanq̃ terminos generi adijçiūt. Terminos etiam ſimplicis ꝓpoſitionis partes dicimus, uel quoniam ſignificatione, quaſi conſcriptam rē oſtendunt quam ſignificant. Hinc eſt quod rerum nomina implicitas diffinitiōes, & diffinitiōes ex-

plicita nomina rerum multi ac clari philoſophi ſolent appellare. Terminum ergo quē hic dicimus, propoſitionis partem intelligimus, quem ita definit Ariſtoteles: Terminus eſt in quem reſoluitur propoſitio. Eſt autem omnis terminus uel cōplexus uel incomplexus. Complexus eſt oratio imperfecta, quę conſtat multis ſimplicibus terminis, ut ſcientia iuris ciuilis. Incomplexus, ut homo, ſcientia, ut facit, currit. Incomplexus autem ſimplex terminus omnis, aut nomen eſt, aut uerbū: & aut infinitum, aut finitum. Nomen eſt uox ex inſtitutione hominum ſine tempore ſignificans, cuius nulla pars ſeiuncta ſeparataq́ʒ ſignificat. Verbum eſt uox ex inſtitutione hominum cū tempore ſignificās, cuius nulla pars ſeiuncta ſeparataq́ʒ ſignificat. Infinita uero nomina uel uerba, ſunt quibus negatio adiuncta eſt. Finita, q̄ abſqʒ negatione ꝓferūt. Finita ut hō, aīal, legit, ſentit. Infinita, ut nō hō, non aīal, nō legit, nō ſentit. Noīa igiť appellat Ariſtoteles q̄ nominatiuo caſu efferūtur, quemadmodum uerba ea quę ſolum indicant præſens tēpus. Cætera caſus nominū & uerborum eſſe aſſerit, ut hominis homini, agebas agebat, agerem agere. Oratio eſt, inſtitutione hominum ſignificās, cuius aliqua pars ſeiuncta ſeparataq́ʒ ſignificat.

*Terminus quid.* *Complexus.* *Incōplexus* *Eius diuiſio.* *Nomē quid.* *Verbū quid.*

Orationum quinqʒ ſunt genera: Enuntiatiua, imperatiua, deprecatiua, interrogatiua, uocatiua. Vocatiua ut Heus, inquit, iuuenes monſtrate mearum Vidiſtis ſi quam hic errantem forte ſororū. Interrogatiua, ut Sed uos qui tandē quibus aut ueniſtis ab oris? Quô ue tenetis iter? Deprecatiua uti, Sic pater ille deûm faciat, ſic altus Apollo Inci

*Vocatiua.* *Interrogatiua.* *Deprecatiua*

piat conferre manum. Imperatiua, ut Diſce puer *Imperatiua* uirtutem ex me uerumq; laborem, Fortunam ex alijs. Enuntiatiua, ut Stat ſua cuiq; dies, breue & *Enunciatiua* irrepabile tempus Omnibus eſt uitę, ſed famā extendere factis, Hoc uirtutis opus. Itē, Neſcia mens hominum fati ſortisq; futuræ, Et ſeruare modum rebus ſublata ſecundis. Harū omniū ſola enūtiatio uerum à falſo diſcernit. Quare ſola huius negotij eſt, nam cæteræ ad rhetoricam magis uel poëticam doctrinam pertinere uidentur. Enūtiatio uero alia ſimplex, alia coniuncta eſt. Coniuncta ex ſimplicibus cōſtat, ut ſi homo eſt, animal eſt. Simplex uero enuntiatio, eſt oratio quæ aliquid eſſe uel non eſſe ſignificat, ſecundum quòd ipſa tēpora diuiſa ſunt, ut homo eſt animal. Omnis igitur oratio qua neceſſe eſt aliquid de aliquo uel aſſerere uel negare, ſi ut uel eſſe, uel non eſſe ſignificat, cōſideratur, enūtiatio dicitur. Sin ut uerum uel falſum, propoſitio appellatur. Eſt enim propoſitio oratio, quæ uerum uel falſum ſignificat. Propoſitionum *Propoſitio.* quædam cathegoricæ nuncupantur, quas prædicatorias Latine appellare poſſumus, quædam hypotheticæ, quæ conditionales nominantur. Prædi- *Prædicatoria.* catoria propoſitio eſt, quæ duobus terminis conſtat, ſubiecto prædicatoq;. Subiectū eſt de quo aliquid dicitur. Prędicatum eſt quod dicitur de aliq̄, ut homo eſt animal. Subiectus terminus nūquā maior, ſed æqualis uel minor prædicato ſemper ē. Prædicatus uero terminus uel uerbum eſt, ut homo currit, uel nomen ſimul cum uerbo, ut dies ſerenus eſt. Præterea tam ſubiectum q̄ prędicatum complexos terminos poſſunt continere, ut ſcien-

tia iuris ciuilis eſt res utilis. Omnis prædicatoria propoſitio, uel affirmatiua uel negatiua eſt. Affirmatiua eſt alicuius de aliq̃ enumeratio. Negatiua eſt alicuius ab aliquo enunciatio. Propoſitionũ aliæ ſunt uniuerſales, aliæ particulares, alię ſunt indefinitæ. Vniuerſalis eſt, quæ aut omni aut nulli ineſſe ſignificat, ut omnis homo currit, nullus homo currit. Particularis eſt, quę alicui aut nõ alicui ineſſe ſignificat, ut aliq̃s homo currit, aliq̃s homo nõ currit. Huic ſingularem annectimus: Ea eſt ſi dicas, Cicero diſputat, hic audit. Indefinita ẽ quæ abſq; uniuerſali atq; pticulari aut eſſe aut nõ eſſe ſignificat, ut homo legit, homo nõ legit. Hic illud dicẽdũ ẽ, huiuſcemodi uoces, omnis, nullus, aliq̃s, q̃ſdã iuniores ſigna, priſcos ſyncategoremata appellare, quoniam terminis addunt, ipſę uero termini nõ ſunt. Ad hęc, propoſitionũ q̃dam cõtrariæ, quædã ſubcontrarię, & alię ſubalternę, alię contradictoriæ nominantur. Vniuerſalis igit affirmatiua & uniuerſalis negatiua, in quibus eadem omnino ſubijciũtur ac prædicant, inter ſe cõtrarię ſunt. Particularis uero affirmatiua & negatiua, in quibus eadem omnino ſubijciunt ac prædicant, ſubcontrariæ dicuntur. Vniuerſalis uero & particularis affirmatiuę, & ſimiliter duæ negatiuæ, ſub alternæ dicuntur. Cum uero quantitati quãtitas, & qualitati opponit qualitas, eiſdem ſubiectis & prædicatis, contradictorię nominant. Quare uniuerſalis affirmatiua & pticularis negatiua, ac rurſum uniuerſalis negatiua & pticularis affirmatiua, in q̃bus eadẽ omnino ſubijciunt ac prędicant, ſibijpſis contradicunt. Harũ propoſitionũ ſi cui ne

*Vniuerſalis.* *Particularis* *Indefinita* *Contrariæ* *Subcõtrariæ* *Subalternæ.* *Cõtradict.*

gatio pręſertim uniuerſali ſigno pręponit̃,ſunt cõ tradictorię:ſi poſtponit̃, contrariæ: ſi uero eidẽ & pręponit̃ & poſtponitur negatio,ſubalternæ uim & p̃tãtem poſſidet.Quã rem iuniores propoſitionum ęquipollentiam appellare ſolent. Verũ de oppoſitione ꝓpoſitionũ ſatis. Nũc de natura dicamꝰ.

| | | |
|---|---|---|
| Omnis homo currit. | Contrariæ | Nullus homo currit. |
| Subalternæ | Contra dictoriæ | Subalternæ |
| Quidam homo currit. | Subcõtrariæ | Quidam hõ nõ currit. |

Propoſitionum igitur quas contrarias appellamus,ea natura eſt, ut cum nunquã ſimul ueræ inueniri poſſint,ſi una uera eſt, falſam neceſſario alteram oſtendat. Neq; retro uertere licet. nec enim ſi alterutra falſa eſt,idcirco q̃ relinquitur erit uera. Nã falſas ſimul eſſe in ijs rebus cõprehẽdimus, quas contingentes appellant,ut omnis hõ ſedet, nullus hõ ſedet. *Contrariæ.*

Subcontrarię uero,cõtrario ſe mõ habent:nam cum falſæ ſimul eſſe nõ poſſint, uerę poſſunt.Quare falſitas unius, ueritatem alterius oſtẽdit,ſed ueritas falſitatẽ minime. Poſſunt enĩ ãbę ſimul ueritatẽ in cõtingẽtibus rebus cõplecti ut aliquis homo ſedet,aliquis homo non ſedet. *Subcõtrariæ*

*Subalternæ.* In ſubalternis ſi particularis falſa eſt, uniuerſalis fa ſa eſt, nec retro agere licet. Vera enim eſſe poteſt particularis, cum uniuerſalis eſt falſa, ut aliqs homo ſedet, omnis homo ſedet. Si autem uniuerſalis uera eſt, & particularis neceſſario. Nam ſi omnis homo eſt animal, & aliquis hõ animal eſt.

*Contradict,* Ac contradictoriæ ſemper uerum à falſo ſeiungũt & ſeparant, nam ſi una ipſarũ uera eſt, falſam altę ram: ſi falſa altera, reliquam uerã eſſe neceſſe eſt.

His ita breuiter dictis, nunc de conuerſione propoſitionum dicendum eſſe uidetur. Conuerſio igi

*Conuerſio* tur eſt, cum propoſitionis ſubiectus terminus in prædicatum, & prædicatum in ſubiectum tráſponitur, Ea eſt triplex. Simplex, per accidens, per contrapoſitionem, Simplex eſt, cum termini quidem

*Simplex,* tranſponũtur, quantitas uero & qualitas eadẽ omnino remanet. Hoc cõuerſionis modo uniuerſalis negatiua, & particularis affirmatiua uertũt. Nam ſi nullum animal eſt, nihil eorꝫ quæ ſunt animal ẽ & ſi aliquis homo currit currentium utiqꝫ aliquid homo eſt. Per accidens autem eſt conuerſio, cum

*Per accidẽs* tranſpoſitis terminis qualitas eadem manet, quãtitas mutatur. Hoc modo tam uniuerſalis affirmatiua q̃ negatiua conuertũtur. Nam ſi omnis homo eſt animal, & aliquod animal hominem eſſe neceſſe eſt. Et ſi hominum nemo uolare poteſt, eorum certe quæ uolare poſſunt, quicq̃ homo nõ eſt.

*Per cõtrapoſitionem* Per contrapoſitionem conuerſio fit, cum quantitas quidem & qualitas eadẽ manet, termini uero tranſpoſiti in infinitos cõmutantur. Hoc modo cõuertuntur uniuerſalis affirmatiua & particularis negatiua. Nam ſi omnis homo ſpirat, quicqd

non ſpirat,eſt non homo: & ſi aliquis homo non ſedet,quippiã quod non ſedet,non eſt non homo, Harum conuerſionum iſta natura eſt, ut cum eadem maneat quãtitas,ſi una eſt uera uel falſa, & altera. Cum uero mutatio quantitatis fiat,uera ſemper in ueram conuertitur. Falſa uero in qua ſuperiora ſubijciuntur,quoniam ex cõuerſione mutata quantitate,recta fit prædicatio, in ueram neceſſario conuertatur,ut aliquis homo animal eſt, cum tamen omne aĩal homo eſt,uera non ſit. Hæc de prædicatoria propoſitione delibaſſe ſufficiat.

## DE PRAEDICABILIBVS.

NVNC breuiter(ut inſtituimus)dabimus operam,ea primo exponere,quæ Græci uoces, Latini prædicabilia ſolent appellare. Deinde de prædicamentis, quas categorias Græce dicimus,& de prædicatorio ſyllogiſmo pauca admonebim⁹,poſtremo de ꝓpoſitiõe hypothetica, & ſyllogiſmo, & de diffinitione & diuiſione diſſeremus, nec omnino ea præcepta contemnemus, quæ eius rei quam iuniores obligationẽ uocant, uim & naturam complectuntur. Prædicabile igiẽ eſt terminus,qui de pluribus uniuoce poteſt prædicari. Vniuoca dicuntur quorum nomen cõmune eſt, & ratio ſubſtantiæ ſecundum id nomen eadem,ut animal homo atq; bos. Nã utraq; animalia nuncupantur. Et ſi quis aſsignet utriuſq; rationem inquantum animal eſt, utrunq; animatum, ſubſtãtiam q̃ ſentiat & moueatur eſſe affirmabit. Prædicabile. Vniuoca

AEquiuoca ſunt quorum nomen quidem com

mune, ſed ratio ſubſtantiæ ſecundũ id nomen nõ
*Aequiuoca* eſt eadem, ut canis in aquis, in terris, in cælo, nomine quidem idem, re autem atq; ſubſtantia diuerſa ſunt. Prędicabilia quinq; ſunt: Genus, ſpecies, differentia, proprium, & accidẽs. Genus eſt quod
*Genus.* de pluribus differentibus ſpecie in eo quod quid eſt, uniuoce prædicatur. Id duplex eſt: nã aliud genus generaliſſimũ, aliud genus ſubalternũ appellatur. Generaliſſimum eſt, quod cum ſit genus, non
*Generaliſſimum* poteſt eſſe ſpecies, uel ſupra quod aliud genus minime inuenit. quæ ſunt decem gña rerũ omnium, de quibus poſtea dicem⁹. Subalternũ eſt quod cũ
*Subalternũ.* ſit genus, eſt etiam ſpecies. Huiuſmodi ſunt omĩa, quæ inter ſpecialiſſimas ſpecies & generaliſſima genera ſemper inueniunt, & ad ſuperiora quidẽ relata, ſpecies ſunt: inferioribus uero accõmodata, ge nera, ut animal, animati quidem corporis ſpecies, hominis uero aut bouis gen⁹. Species, eſt quę
*Species* ponitur ſub genere, uel Species eſt quę de plurib⁹ differentibus numero in eo quod quid eſt, uniuoce prædicatur. Ea eſt duplex: nam aliam ſpecialiſſimam, aliam ſubalternã dicimus. Subalterna eſt, q̃
*Subalterna* inter gñaliſſimum genus, & ſpecialiſſimã ſpeciẽ poſita eſt. Superioris ſpecies, inferioris genus ſemper inuenitur, ut animal. Specialiſſima eſt quæ cũ
*Specialiſſ.* ſit ſpecies, non poteſt eſſe genus, ut homo, bos.

Hæ ſpecialiſſimę ſpecies non in ſpecies ampli⁹ ſed in indiuidua ſcinduntur, ut Cicero, Ariſtoteles.

*Differentia.* Differentia eſt, qua res inter ſe differunt. Ea eſt triplex: Cõmunis, propria, ſpecifica. Cõmunis eſt
*Cõmunis* quę ſepabilis ẽ. Ita dicimus albũ hõiem à nigro differre. Propriã eſt q̃ cum inſepabilis ſit, ineſt tñ per
*Propria.*

accidēs,ita coruus nigredine à cygno differt. Specifica eſt quæ de pluribus differentibus ſpecie uel numero in eo q̊d eſt quale eſſentiale, uniuoce prædicatur. Vel, Differentia eſt qua abundat ſpecies à genere. Hanc ſolam in numero quinq; prædicabilium accipimus, quæ duplex eſt: diuidens & cōſtituens. Diuidentem appellamus qua genus diuiditur, ut ſubſtantia quædam corporea, quædam incorporea. Conſtituentem appellamus, quæ generi addita ſpeciem conſtituit, ut animaliū aliud rōnale, aliud irrōnale Nā ſi animali addas irrationalitatem, ſpeciem quandam cōſtitues, quā ſi nomine caret, aut mente ſola cōcipies, aut etiam (nec enim de rerum uocabulis ſollicitari debet philoſophus, ſed dare ſemper operam diligēter, ut natura rerum apertius pateat) ficto aut nouo uerbo q̄cōmodiſſime poteris nominabis. Sūt ergo ſpecificæ differentiæ, quæcunq; aliam faciunt ſpeciem, quibus ad diuiſionem & diffinitionem ſpecierū maxime opus eſt. Proprium quatuor modis accipitur: Nam quicquid ſoli accidit ſpeciei, & ſi non omni ſub ea, neq; ſemper, proprium dicitur, ut homini medicum eſſe, & quod omni accidit & ſemper, & ſi non ſoli, ut hominem bipedem eſſe. Et q̊d omni & ſoli, ſed nō ſemper, ut homini caneſcere in ſenectute. Et quod omni & ſoli & ſemp ineſſe pōt, ut riſiblie hōi. Et hoc mō propriū in quinq; uniuerſalib⁹ cōnumerat̃, q̊d etiam ſic definiūt: Propriū, ẽ q̊d de plurib⁹ differētib⁹ nūero uniuoce in eo q̊d eſt q̄le accidētale, ſic p̄dicat̃ ut ꝯtere liceat, ut oīs hō ẽ riſibilis, & qcq̊d riſibile ẽ, hō eſt. Accidēs ẽ, q̊d pōt adeſſe & abeſſe p̄ter ſubiecti corruptiōem.

*Specifica.*

*Proprium*

*Proprium*

*Accidens*

Huius aliud eſt ſepabile, ut dormire, ſedere: aliud in ſepabile, ut nigredo corui & Aethiopis. Quę ſi ſep atim non inueniatᷓ, tñ ſi abeſſet nõ inferret coruo aut Aethiopi corruptionẽ, q̊d à iunioribus etiã ſic definiri ſolet: Accidẽs ẽ q̊d de pluribus p̃dicatᷓ in eo q̊d quale accidentale nõ cõuertibiliter. Quòd aũt uoces (ut Græci dicunt) quinq; ſint numero, hinc maxime pſpicuum eſt, quòd omne q̊d de alio dicitᷓ, uel accidens ei eſt, uel ſubſtantiale. Si accidẽs, aut conuerti prædicatio poteſt, & haberi proprium, aut non, & habetur accidens. Quòd ſi ſubſtantialis prædicatio eſt, ideſt, ſi quod prædicatur eſſẽtia ineſt ſubiecto uel in eo quod quid, uel in eo q̊d quale dicitur, quòd ut qualitas dicitᷓ cũ per eſſentiam ineſt, differentia eſt, quod in eo q̊d quid, ſi de pluribus differẽtibus ſpecie, genus eſt, ſin de differentibus numero, ſpecies eſt. Itaq; cũ ſint quinq; prædicabilia, genus, ſpecies, differentia prædicationem eam faciunt, quæ eſſentialis & ſubſtãtialis. Accidentis ac proprij prædicatio, accidentalis appellatur. Nunc quoniam de quinq; uocibus dictũ eſt, de prædicamentis breuiſſime (ut inſtituimus) dicendum uidetur.

*Cur quinq; uoces breuis oſtenſio*

## DE PRAEDICAMENTIS.

PRædicamentum igitur, eſt terminorũ qui ſecundum nullam complexionem dicunur, natura rerũ coordinatio. Et ſunt decem, Subſtantia, quãtitas, qualitas, ad aliquid, actio, paſſio, ubi, quando, ſitus, habere. Eorum quæ ſunt, quędã dici de alijs poſſunt uti de ſubiecto, quædam non poſſunt. Item eorũ quæ ſunt, alia in ſubiecto ſunt, alia nõ. In ſubiecto dicitur eſſe, quicquid cum in

*Prædicamentum*

aliquo ſit, ſine eo eſſe nõ poſſit, & tamen non eſt pars eius, ut albedo i corpore. Quare quod in alio non eſt, ſubſtantia eſt. Quæ uero de alijs ut de ſubiecto dicuntur, uniuerſalia ſunt. Quæ dici de alijs nõ poſſunt, ſingularia ſunt. Subſtantiam i primã & ſecundam partitur Ariſtoteles. Prima eſt, quæ neq; de ſubiecto dicitur, neq; in ſubiecto eſt, ut hic homo, hic bos. Secunda eſt, quę de ſubiecto quidem dicitur, ſed in ſubiecto non eſt, ut homo, bos. Quando alterũ de altero, ut de ſubiecto prædicãt, quæcunq; de prædicato dicũtur, omnia etiã de ſubiecto dicuntur. Nã cũ animal de homine ut de ſubiecto dicatur, ſubſtantia, cum de animali dicitur, etiam de homine dicetur, quod in ipſa ſerie prædicamenti apertius comprehenditur, *Subſtantia.*

SVBSTANTIA.

Corporea. Incorporea.

CORPVS.

Animatum. Inanimatum.

CORPVS ANIMATVM.

Senſibile. Inſenſibile

ANIMAL.

Rationale. Irrõale.

ANIMAL RATIONALE.

Mortale. Immortale.

HOMO.

Antonius Cicero Auguſtus.

Subſtantia non ſuſcipit magis & minus. Nulla enim hoc ipſum q̃d eſt magis uel minus dicitur nec quicq̃ ei contrarium. Verum hæc ita ſubſtantiæ propria ſunt, ut ei cum quibuſdam alijs cõmunia ſint. Illud maxime proprium, cum una & eadẽ

numero fit, contraria uiciſſim ſuſcipiat, ut homo nunc albus, deinde niger. De ſubſtantia quidem ſa tis. Quãtum aũt eſt, q̃d diuiditur in ea quę inſunt, quorum utrunque uel ſingulum, unum quid & hoc aliquid innatum eſt eſſe. Quantitas alia continua eſt, alia diſcreta. Continua eſt, cuius partes cõmuni quodã termnio cõiunguntur, Eius ſpecies ſunt linea, ſupficies, corpus, motus, & tempus. Sic eñ princeps ille philoſophorum ac pene ſolus phũs in quinto primę philoſophiæ partitur. In categorijs motum neglexit, locum poſuit. Locus tamen ut à phiſico auditu colligitur, ſuperficiei ſpecies eſt. Quare patet aut alios ſecutum, locum à ſuperficie ſeparaſſe, aut ipſam trinam dimenſionem non ut in corpore, ſed potius in uacuo intellexiſſe. Continuorum per ſe quidem ſunt linea, ſuperficies, corpus: per aliud uero quanta ſunt, quæ inſunt quantis, ut motus, & tempus. Nam etſi hæc ad ea quæ per accidens quanta ſunt, philoſophus reducat, ut album quãtum, quia ſuperficies alba, differenter tamen, quod hæc huius ſunt prædicamenti. Diſcreta quantitas eſt, cuius partes nullo cõmuni termino coniunguntur. Eius ſpecies ſunt, numerus & oratio. Item eorum quæ quanta ſunt, quædã cõſtãt è partibus quæ inter ſe poſitionem hñt, quædam uero minime. Dicuntur autem habere poſitionẽ, quæ non ſolum continua ſunt, uerumetiam in loco ſita permanent, quæ maxime omnium quanta dixerim. Huiſmodi ſunt linea, ſuperficies, corpus. Poſitionẽ uero non habere dicuntur, quæ nõ ſunt ſita alicubi, ſed ordinem tantum partium habent, ut numerus. Quantitati ſimiliter ut ſubſtantiæ, nĩ

*Quantum*

*Eius partitio*

*Laus Ariſtotelis.*

hil eſt contrarium:ſed illud maxime proprium e-ius,ſecundum eam ęquale aut inęquale dici. Qualitas eſt ſecũdum quam quales eſſe dicimur. Eius quatuor ſunt ſpecies: Affectio & habitus, naturalis potentia uel impotentia,paſſio uel paſſibilis qualitas,forma uel figura. Inter affectiõem & habitũ hoc intereſt, quòd affectio & facilius imprimitur,& citius commutatur, ut cũ calore aut frigore,aut ſanitate,aut alijs huiuſmodi homo afficitur. Habitus uero permanentior & diuturnior eſt. ut uirtus,ut ſcientia,& ſimilia. Quare perſpicuum eſt,habitum omnem eſſe diſpoſitionem quandã atq; affectiõem:uel quoniã afficit quodammodo, & diſponit habitus,id cuius eſt habitus:uel quoniam temporis prolixitate innatę quaſi fiũt affectiones quædam,& in habitum tranſferuntur. Naturalis potentia uel impotẽtia dicitur uis quædam inſita,uel imbecillitas qua facilius quicq̃ aut ægrius uel pati uel agere natura poteſt, ut durum molle,ualetudinarius,robuſtus,& quæ huiuſmodi ſũt natura inſita, non aduentitia. Paſſiões autem uel paſſibiles qualitates, ſunt non affectiões ipſæ ſed ea quibus affectiones efficiuntur,ut calor,frigus, albedo,nigredo,amaritudo,dulcedo, & ſimilia,q̃ non ideo paſſiões dictę ſunt, q; ſubiecta earũ quicquàm ab eis patiantur,uerum quia ſenſus immutando afficiunt,ut amaritudo, dulcedo. Colores aũt magis quòd ex motione ſolent innaſci nobis ſic appellati ſunt,ut ex timore pallor,ex rubeſcentia rubor: quorũ qui diutius p̄manent,qualitates dicuntur:qui citius tranſeunt,paſſiones. Nam qui rubet q̃niam pudet, aut qui pallet quoniã timet,

Qualitas

Affectio

Habitus.

Naturalis potentia.

Paſſio.

pati aliquid dicitur,rubeus aũt aut pallidus nõ dicitur. Figura uero eſt,ut circulus,triangulus,& huiuſmodi. Magis & minus ſuſcipit qualitas,ſed non omnis,nec enim circulus aut triangulus alius alio magis eſt id q̃d eſt.Quare id maxime propriũ eſt qualitatis,ut ſecũdũ eam ſimile aut diſſimile dicatur. Ad aliqd ſunt, quæcunq; hoc ipſum quod ſunt alioꝝ dicuntur,uel quomõlibet aliter ad aliud.

*Figura.*

*Ad aliquid.*

*Relatiua.*

Relatiuorum alia æquali quadam comparatione conſiſtunt,ut ſimile,æquale,amicus. Alia maiore,ut pater,dominus: Alia minore,ut ſeruus, filiꝰ: Alia uoluntate, ut amicus, inimicus: Alia fortuna, ut dominus,ſeruus.Relatiua magis & minus ſuſcipiunt,magis non omnia,ſed quæ ſecundum qualitatem dicuntur,& quæ fortuna uel uoluntate cõſiſtunt.Item cõtraria nõnulla ſunt,ut uirtus uitio, diſciplina ignorantiæ.Omnia uero inter ſe conuerti manifeſtũ eſt.Pater enim filij pater, & filius patris filiꝰ.Sed oportet apte alterum alteri reddere. Nam ſi quis dicit alam auis,quoniam alteꝝ alteri non apte reddit,non poterit cõuertere. Non enim in eo ꝙ auis eſt,ſed in eo quod alatum eſt, ala eſt. Caſus ſunt diligenter ſeruandi, ut doctrina docti, ſed doctus,doctrina doctus.

*Actio.*

Actio eſt qua cum quicq̃d agit̃ in eo quod ſubijcitur,agere dicitur.Actioni ſex partes ſubijciunt̃: Generare,corrumpere,augere,diminuere, alterare,loco mouere.Horum ſingulis ſpecies ſubiectæ & indiuidua,hominem uerbi cauſſa,uel hunc hominem generare,aut corrumpere.Crementi uero & diminutionis ſpecies ſunt,in longum,latum & profundum,Indiuidua hac longitudine,uel latitu

dine,uel altitudine id facere. Alterationis, calefacere,albeſcere,cæteraq́ꝫ huiuſmodi. Extremi generis,aliqua ſpecie ſecūdum locum motus mouere, ut ſurſum,deorſum. Actio actioni nōnūquàm cōtraria,ut incēdere,extinguere. quare magis ac minus ſuſcipit,ſed illud præcipue actionis in motu ſit. Omnis eñ actio in motu eſt, & oīs motus in actione ſeruatur. Paſſio eſt actionis effectus. Eius partes ſunt,gñari,corrumpi, & cæteræ quæ actionis eſſe dicebātur,non ut agunt, ſed ut patiunt.

Vbi,eſt quę à loci circumſcriptiōe procedit corporis locatio. non eſt enim idem locus & ubi. nā locus eſt in eo quod capit: ubi uero in eo quod circumſcribitur. Huic categoriæ nihil eſt contrariū, quemadmodum nec loco. Et ſpecies eius,loci ſpecies ſunt non ut locantis,ſed ut locati. *Vbi.*

Quādo, eſt quæ relinquitur ex tempore rerum affectio. Id diuiditur in præteritum,inſtans,& futurum,quàmuis nihil horꝫ ſit. Nam cum hæc tria tempora ſint, quādo tempus non eſt, ſed affectio rei quæ fuiſſe,uel eſſe,uel futura dicitur. *Quando* Situs ē partium quædam poſitio ac ordinatio, qua ſtantia,ſedentia,aſpera,leuia,& huiuſmodi dicuntur. *Situs* Eius ſpecies ſunt accubitus,ſeſſus,aſperꝫ etiam & leue,non ut tactu iudicant, ſed ut poſitione quadam partium inter ſe conſtituuntur. Poſitio non ſuſcipit magis & minus,quamobrem nec contrarium. nec enim ſtare, aut ſedere contraria ſunt,ne uni plura contraria ſint. Et quoniam de quocunqꝫ dicitur unum contrariorum, & alterum. nam ſtare de nonnullis dicitur,de quibus ſedere recte non dicitur. Habere dicuntur circa quæ aliquid ad *Habere.*

iacet,haberi uero,ea ipſa quę adiacent,Huius ſpecies,armatum eſſe,anulatum eſſe. Suſcipit autem habere magis & minus,quia etiam contrariũ, nõ ut habitum,ſed ut priuationẽ, ut armat⁹, inermis. Et cum multis modis dicaẗ,quos Ariſtoteles enumerat,ſex ſunt:Habere qualitatẽ, ut diſciplinam: quantitatem, ut proceritatem, quæ circa corpus uel corporis partem ſunt,ut ueſtem,anulum:mẽbrum, ut manum habere: aut in uaſe, ut modius habet triticum:poſſeſſionem, ut domum:aut etiã uxorem,& uxor uirum habere dicitur,qui modus omnium alieniſſimus ſit: nihil enim aliud quàm ſimul habitare,oſtendere uidetur. é quibus omnibus tertius ſolum modus huius eſt categoriæ.

Opponi aliud alij quatuor modis dicitur:ut ad a'íquid,quomodo,duplum, dimidium:ut contraria, ſicut albũ, nigrum,uirt⁹,uitiũ:ut habitus & priuatio, ſicut uiſ⁹, cæcitas: auditus,ſurditas:mot⁹,qes: ut negatio & affirmatio,ut ſedet, non ſedet. Cõtraria ſunt quæ in eodem genere poſita, plurimum diſtant.Eorum alia mediata alia immediata. Mediata dicuntur, quorum uidelicet alterutrum non ẽ neceſſe ſuſceptibilibus ineſſe, ut album uel nigrũ eſſe corpus quodpiam, neceſſe nõ eſt. poterit eñi rufum uel flauum eſſe.Sanum uero aut ægrum eẽ neceſſe eſt animal.quare ſanum & ægrum immediata ſunt. Priuari uero dicuntur, quæcunq; ea re careãt,quæ cum ineſſe nata eſt,ſi cum ineſſe põt non ineſt.nec enim uel lapis uiſu, uel puer dentib⁹ anteq̃ habere poſſit,priuatus eſſe dicitur.

Prius & poſterius quatuor modis dicuntur:Na-

tura, tempore, ordine, dignitate. Natura id prius eſt,à quo uerti non poteſt conſequentia, ut ſi currit, mouetur. quia non retro fit, ſi mouetur, currit, mouere q̃ currere prius eſt. Tẽpore autem, ut Romulus anteq̃ Camillus fuit. Ordine, ut exordium in oratione, narratione prius. Dignitate, ut homo brutis, conſul prætore.

His quintus accedit apud Ariſtotelem, quem etiam natura conſiſtere opinatur: Is eſt cum eorũ quæ mutuo ſe conſequuntur, unum alterius cauſa eſt, ut ſi homo eſt, uera eſt (qua hominem eſſe aſſerimus) oratio. Item homo & riſibile, pater & filius. Simul duobus modis, tempore ac natura dicitur. Tempore ſimul, ſunt quorũ generatio ac corruptio in eodem eſt tempore. Natura, quæcunq; ſe mutuo cõſequuntur, cum neutrũ alterius cauſa ſit, ut duplum, dimidium. Et quæcunq; genus aliquod diuidunt, ut greſſibile, uolatile, animal diuidunt.

Motus ſpecies ſunt ſex, gñatio, corruptio, crementum, diminutio, alteratio, loci mutatio. Et generatio corruptioni, & crementũ diminutioni opponitur, ut quies in loco, mutationi quæ per locũ ineſt, cui etiam opponitur in contrarium locum mutatio, ut quæ ad inferiora eſt, ei quæ ad ſuperiora eſt. Alterationi ſimiliter, in qualitate quies motui opponitur, qui uel ex eadem qualitate, uel in oppoſitam qualitaem eſt, ut in albedine quies ex albedine, uel in nigredinẽ motui opponitur.

Verum de prædicamentis ſatis. Nunc de ſyllogiſmo dicendum.

*Syllogiſmus.* SYllogiſmus eſt oratio in qua ex ĳs quę poſita ſunt, aliud neceſſario conſequitur. Syllogiſmorum quidam prædicatorĳ, quidam conditionales. Prædicatorius eſt qui propoſitionibus conſtat prædicatorĳs. qui ſi tribus enũtiationibus abſoluitur, perfectus eſt: ſi uero duabus, imperfectꝰ eſt & enthymema. Hic perfectum, cõpletum & abſolutum, imperfectum, incompletum ac inabſolutum idem intelligimus.

*Perfectus* Syllogiſmus perfectꝰ tribus conſtat enũtiationibus & tribus terminis. Terminorum unum minorem, alterum maiorẽ, tertium medium appellamus. Hos in ſyllogiſmo bis ſumi neceſſe eſt. nã aliter é tribꝰ terminis tres conficere enũtiationes non poſſumus. Medius ergo eſt, qui cum bis ante concluſionem ſumatur, in ea tertio repeti nõ poteſt. Maior uero is eſt, qui in concluſione prædicatur. Minor uero qui in cõcluſione ſubĳcit. Enũtiationum quibus ſyllogiſmus conſtat, unam maiorem propoſitionem, alteram minorem, tertiam concluſionem nuncupamus. Maior propoſitio eſt, quę ex maiore & medio termino conſtat. Minor eſt quæ ex minore & medio termino conſtat. Concluſio eſt quæ præmiſſis duabus propoſitionibus maiore atq; minore, neceſſario conſequit: in ea cum recte infertur, maior terminus: cum nõ recte minor prędicat, qđ quinq; modis primæ ſolũmodo accidit.

*Figuræ tres.* Syllogiſmorum tres figuræ: prima ẽ in qua medius terminus ſubĳcit in minore, & in minore prędicatur. q̃uis contrà fieri & ſoleat & poſſit. Secunda eſt in qua medius terminus ſemper prędicat. Tertia eſt in qua medius terminus ſemp ſubĳcit.

Quas ob res patet figuram nihil aliud eſſe niſi terminorum ordinem. Modus in ſyllogiſmo propoſitionum ſeries eſt, & ſunt omnes decem & nouem. nouem primæ, quatuor ſecundæ, ſex tertię figuræ. In prima ea uerba ponamus, quæ & uulgo feruntur, & totā hanc rem præ oculis ponunt. Nā & ſi barbariem quandam reſonare uidentur, apertius tamen atq; breuius omnia tibi ſubijcient. Barbara, Celarent, Darij, Ferio, Baralipton, Celātes, Dabitis, Fapeſmo, Friſeſmorũ, Cęſare, Cameſtres, Feſtino, Baroco, Darapti, Felapton, Diſamis, Datiſi, Bocardo, Feriſon. In his (ut uides) uerbis, quatuor uocales reperiuntur, quarum A Vniuerſalem affirmatiuam ſignificat, E uniuerſalem negatiuam, I particularem affirmatiuam, O particularē negatiuā. Quare Barbara primum modum primæ figuræ, é duabus affirmatiuis uniuerſalibus eiuſdē & qualitatis & quantitatis concluſionem inferre ſignificat, ut omne animal eſt ſubſtantia, omnis hō eſt animal, ergo omnis homo eſt ſubſtantia. Eodem pacto in cæteris omnibus ubi recte illata concluſio eſt, pręterq̄ in quinq; poſtremis primę indirecte, in quibus minor terminus de maiore prædicat in' concluſione, ut uerbi gratia, Baralipton: Omne animal eſt ſubſtantia, omnis homo ē animal, quędam igitur ſnbſtātia homo eſt. Cæſare ſignificat primo ſecundæ figuræ modo, ex prima uniuerſali negatiua, ſecunda affirmatiua uniuerſali, negatiuam uniuerſalem inferri hoc pacto. Nullus aſinꝰ eſt riſibilis, omnis homo eſt riſibilis, nullus igitur hō eſt aſinus. In tertia figura per Darapti, ex duabus uniuerſalibus affirmatiuis, particularem affir

matiuam inferri hoc pacto: Quilibet homo ratio ne uti poteſt, & omnis homo eſt animal, quoddã igitur animal ratione uti poteſt.

ſub. aĩal. hõ

BARBARA.



O Nota ſigni omnis.


N Nota ſigni nullus.

Q Nota ſigni aliquis.

Q Nota ſigni aliqs non.

N Q Cum ſic conuertũtur, ut ſupra ſignatæ ſunt, indirecte colligere deſignant.

ſub.aĩal.hõ




BARALIPTON

Ex his palam eſt, nihil ex duabus negatiuis uel particularibus euenire. Et quatuor concluſionũ genera, primis quatuor modis inferri, quorum etiam duo ſecunda, duo tertia figura concludit, illa dupliciter negatiuã, hæc ſimiliter particularem dupliciter. Quare patet, ſemper concluſionem deteriori propoſitionum inhærere. Sed figuras & modos ſyllogiſmorũ facile intellectas iri non dubito. Verum quoniã quatuor primi modi primæ figuræ principatum inter alios obtinẽt, aliorum modorum omnium diligens ad eos ſolet fieri reductio. Ea fit duobus modis: Per conuerſionem ac cõmutationem propoſitionum, nõnunq̃ & per impoſſibile, id eſt, cum ad cõtradictionem alicuius conceſſæ is qui cum diſputamus compellitur: ac per conuerſionem quidem quo pacto fiat reductio, conſonãtibus quæ in uerbis iam ſcriptis unt breuiter percipere poſſumus, Nam cum qua-

tuor primæ dictiones ab B,C,D,F incipiant, quæcunq; ab B incipiunt uerba,ad primum:quę ab C, ad ſecundum:quæ ab D, ad tertium: quæ ab F, ad quartum primę reducendum eſſe ſignificant,

Riſibile





Ceſare

aſinus.N.hō rōe uti pōt.
Q. animal





DARAPTI

homo
animal hōla,




lapis hō ani.




FERIO


Prærerea ubicūq; S litera ſcripta eſt, propoſitionem oſtēdit, quæ uocali ſignantur, ea quidē quæ immediate præceſſit, conuertendam eſſe ſimpliciter:P uero litera,per accidens: M autem propoſitiões quas pręmiſſas appellant, ſic immutandas ſignificat, ut prima ſecundæ, ſecunda primæ locum occupet.quæ oīa ut apertius pateant,exemplis uti non alienum eſt.

Fapeſmo ad Ferio reducitur, cū ab eadem litera utraq; dictio incipiat. Fiat ergo ſyllogiſmus in Fapeſmo ſic:


Omnis homo animal ē,at nullus lapis homo eſt,aliquod ergo animal lapis non eſt.

Et quoniam P litera primæ ſyllabæ,S uero ſecundæ inhæret, prima propoſitio per accidens, ſecunda ſimpliciter primo uertentur.Deinde quoniam M quoq; aſcriptum eſt,altera in alterius locum tranſferenda eſt,ſic:Nullus homo lapis eſt, q̄ddā animal homo eſt, quoddam ergo animal


lapis non eſt. Iterum eadem concluſio illata per primam, in quarto modo eſt. & hui⁹ reductiõis, quæ per conuerſionem fit, proprium eſt eandem concluſionem, quemadmodum illius quæ per im poſſibile dicitur, alicuius conceſſi contradictoriũ inferre, uerum de ea poſt. Nunc alia exempla congeramus: Cameſtres in Celarent reducitur cõuer ſione ſimplici ſecundæ, quoniam S poſt uocalem ſecundę ſyllabæ ſequitur, & tranſpoſitionem propoſitionum, quoniam M ſcriptum in dictione eſt, ut omnis hõ animal eſt, nullus lapis animal ẽ, nullus igitur lapis homo eſt, cõtendis non ſequi, idq; ſi aliquo illorum quatuor (quoniam probatiores ſunt) inſereretur, non dubitares. Præponas igitur ſecundam conuerſam ſimpliciter ſic, Nullum animal lapis eſt, omnis homo eſt animal, nullus ergo homo lapis eſt. Quę concluſio etiam ſi ſimpliciter conuertatur, erit illi eadem cui aſſentiri nõ poteris




Item Darapti in Darij ſic: Quicquid ridet, homo eſt, quicquid ridet, animal eſt, quoddã ergo animal hõ ẽ. Secunda uertatur per accidens, quoniam P poſt ſecũ dę ſyllabę uocalem conſequitur ſic: Quicqd ridet, hõ eſt, quoddã animal ridet, q̃ddam, ergo animal hõ ẽ. Ac per conuerſionem quidem reductio q̃mõ fiat, ex his patet.




Per impoſſibile uero, ſe-





cundæ figurę quatuor mo-
di ſic reducuntur: Primam
propoſitionem reducendi-
ſyllogiſmi primam colloca
mus .In ſecundo loco con-
tradictoriũ ponimus con-
cluſionis, ex quibus infert
contradictorium ſecũdæ propoſitionis,quæ iã cõ
ceſſa ac data fuit.Ita compellit̃ is ,quo cum diſpu-
tamus,uel aſſerere duo cõtradictoria ſimul poſſe
eſſe uera,quod eſt impoſſibile, uel priori cõcluſio
ni aſſentire. Hoc igitur pacto primus ſecundæ in
quartum primæ.Nullus lapis homo eſt,quicqd ri
det homo eſt,nihil ergo quod ridet,lapis eſt. Huic
concluſioni tu non aſſentis,erit ergo contradicto
rium eius uerum. quare fit ſyllogiſmus in quarto
primæ ſic: Nullus lapis homo aſt,aliquid quod ri-
det lapis eſt,aliquid ergo quod ridet,homo non ẽ.
Dediſti autem quicquid ridet hominẽ eſſe, das er-
go impoſſibile.i. duo cõtradictoria ſimul eſſe ue
ra. Sic igitur primus in quartum primæ,ſecundus
in tertium,tertius in ſecundum, quartus in primũ
reducitur.Nam quoniã reducendi ſyllogiſmi mai
or,id eſt,prima etiam in eo relinquenda in quem
reducitur,deinde oppoſitum concluſiõis in ſecũ-
do loco ponendum eſt, primam ſyllabam primæ
ſyllabæ ſumas eiuſdem uocalis, & oppoſitum cõ
cluſionis ſecundæ ſyllabę aptes diligentius, & ui-
debis aptiſſime in quẽ unuſquiſq; reduci debeat.

Ex prima propoſitione igitur ſecundæ figurę &
oppoſito concluſionis per hanc reductionem, op
poſitum ſecundæ iam datæ propoſitiõis in prima.

figura infertur. In tertia uero primo loco concluſionis oppoſitum collocamus. deinde ipſam ſecundam propoſitionem ſecundo loco adhibemus, ex quibus ſequitur in prima figura primæ propoſitionis reducendi ſyllogiſmi uel cõtradictorium uel contrariũ. Quare primo quanta & qualis ſit cõtradictoria cõcluſiõis cõſidera, & uocali primæ ſyllabæ alicui⁹ dictionis, quę in prima figura ſit, ſic accõmoda, ut ſecũda propoſitio ſecundæ ſyllabæ conueniat.

Celarent





homo

DARAPTI

Ita reducitur Darapti in Celarent, Felapton in Barbara, Diſamis in Celarẽt, Datiſi in Ferio, Bocardo in Barbara. hoc mõ primus in ſecudũ: Oĩs hõ rõnalis eſt, oĩs hõ animal eſt, q̃ddam igit̃ animal rõnale ẽ: cui ſi nõ aſſentis, erit id uerꝫ, Nullum animal rationale eſt, at omnis hõ animal eſt, null⁹ ergo homo rõnalis ẽ. Sed omnem hominem eſſe rõnalem, iam datum eſt, erũt ergo duo contraria ſimul uera, quod ẽ impoſſibile. Item quartus in quartũ: Omnis hõ aĩal rationale eſt, aliquis homo albus eſt, quoddam ergo albũ, animal rõnale eſt. Quod ſi non ſit, ergo id eſt, nullum album, animal rationale eſt, aliquis homo albus eſt, aliquis ergo hõ animal rõnale non eſt. ſed datum eſt oẽm hominẽ eſſe animal rõnale, danť ergo duo cõtradictoria ſi

FERIO




homo

DATISI

muluera, quod impoſſibile eſt. Non ignoro duos quoq; poſtremos primæ, in Analyticis in duos priores conuerti, uerum id ipſum difficilius eſt & parum ad propoſitũ noſtrum, idcirco negligemus.

Et hæc eſt quæ de reductione diximus, magis ad excitanda ingenia q̃ q ad dicẽdum multum ꝑtineat, dicta ſunt. Hęc de prædicatorio ſyllogiſmo ſufficiant. Plura ſi quis uelit, ex aureo fonte hauriat, Ariſtotelis uolumina euoluat. nos (ut inſtituimus) ad conditionalis præceptionem trãſeamus.

## DE PROPOSITIONE CONDITIONALI.

Conditionalis propoſitio eſt, quę pluriũ categoricarum iunctione conficitur. Oratio ea triplex eſt: quę Si rationali particula, quę Vel diſiunctiua, q̃ copulatiua Et, aut partibus conſimilibus iungitur. Omnis conditionalis duabus partibus conſtat, antecedente, & conſequente.

Antecedẽs eſt, quo poſito aliud ſequatur neceſſe eſt. Si id cuius conſequens eſt pręceſſerit, id etiã annexum appellatur. Hę igitur partes, in rationali quidem (quam & proprie cõditionalem appellãt) ordine quodã naturæ inter ſe referuntur, atq; ideo ſic nobis deſcriptę ſunt. In copulatiua & diſiunctiua non natura, ſed eius qui dicit iudicio diſponuntur. Rationalis ſiue conditionalis proprie, ſi negatiua eſt, uera ne an falſa ſit, ex affirmatione, remota negatione (ut omnes conditionales) cognoſcit. Non ſi tu es homo, tu es aſinus, hæc uera eſt, quoniam affirmatio falſa. Eſt autem negatiua hypothetica quæcunq; negandi aduerbium conditionis particulæ ſtatim propoſitum habent.

Affirmatiua uera eſt, ſi conſequentis oppoſitum
antecedenti repugnat:falſa uero ſi non repugnat,
ut ſi homo eſt,animal eſt. non enim poteſt homo
eſſe,cum animal non ſit.Id prçceptum, Id dictum
ad omnes quas iuniores conſequẽtias,Cicero ſim
plices cõcluſiones,Græci enthymemata appellãt,
examinandas,recte ne conſequantur an non,plu-
rimum ualet.Eſt tamẽ & alia ratio,qua uera ne ſit
an non rationalis perſpiciamus, & cõmunis ei cũ
concluſiõe ſimplici, locorum uidelicet uis atq; na
tura,qua genus ſpeciem ſequit̃, effectus cauſſam,
adiunctum id cui adiungitur,& cætera quæ aut ſe
inuicem,aut una ex parte conſequuntur. Quæ o-
mnia rationis nota in conditionali adiecta, ipſarũ
rerum non ſolum ui,uerum etiã ordine antecedũt,
& conſequuntur.Quare ut altius res hæc tota,plu
raq; alia recte intelligantur, omnium locorũ uis,
ordo,differentia percipienda.Hæc de rationali.

Copulatiua uera ea eſt, ſi utraq; pars uera:falſa
uero,ſi & utraq; pars eius falſa,& ſi altera falſa.
Diſiunctiua autem, cum ueritas in eo conſiſtat, ut
ſemper pars altera uera falſaue ſit,cum ambæ nõ
poſſint ueræ ſimul eſſe uel falſę, neceſſario eas res
ſemper continet,quarum alteram eſſe neceſſe eſt,
ut eſſe, non eſſe,dies,nox,ęgrotus,ſanus:prętere a
uiuere,mori,uigilare,dormire in animalibus,cæte-
raq; huiuſmodi,inter quæ tertium dari nõ poteſt.
nam in alijs rebus conficta diſiunctio, formam tã
tum diſiunctiuæ,non uim poſſidet.Quare diſiũcti
ua uera,ſemper neceſſaria eſt,& uel contraria im
mediata continet uel pugnantia, ſed non ſemper
pugnantia ueram diſiunctiuam conſtituunt. Hæc

enim falſa eſt:Aut homo eſt,aut animal nõ eſt.ſe-
quitur enim ex ea,quicquid homo non eſt,id ani
mal non eſſe,quod falſum eſt.Falſum autem ex ue
ro ſequi non poteſt, quàmuis uerũ ex falſo poteſt.
quare in contrarijs immediatis (appellamus autẽ
contraria, oppoſita omnia præter relatiua) In his
igitur diſiunctiua ſemper uera eſt,& in repugnã-
tibus,ſi termini ſunt ęquales.In terminis uero inę
qualibus uidetur quidem,ſed non eſt.quod ut fa-
cilius diiudices,qd ponit attẽde. Ponit enim diſiũ
ctiua omnis uel primam ptem ſolam, uel primæ
partis oppoſitum per rationalem notã cõſequen-
ti cõiunctam,uerbi cauſſa,aut dies eſt, aut lux nõ
eſt.Hæc ponit uel diem eſſe, uel ſi dies non eſt, lu-
cem quoq; non eſſe:Quod cum falſum ſit, diſiũcti
ua quoq; falſa eſt.Illud præterea tenendũ eſt,è prę
dicatorijs ac ſimplicibus propoſitiõibus,quarum
uterq; terminus nomen continet, conditionalem
fieri.Et omnem rõnalem, quæ uerbo eſſe repetito
conſtat ſimplicem ac categoricã, ſi quis hinc uer-
bum auferat q̃d illi acceſſit.& ſi rationalem parti-
culam,ut homo eſt animal.Si homo eſt, animal ẽ.
Sed nec categoricas in conditionales tranſire, in q
bus uerbum ſolum prędicatur, nec conditionales
ad categoticarum ſimplicitatem peruenire,ſi par
tim prædicata diuerſa,aut diuerſa uerba ſunt, aut
ſi idem repetitum, illud non eſt in q̃ uerba omnia
reſoluuntur,ut homo eſt, homo legit,homo diſpu
tat.Item ſi currit mouetur:ſi peperit,cum uiro cõ
cubuit.præterea,ſi homo uiuit, animal uiuit.nam
ſi dies eſt,lux ẽ,ſimplex fieri poteſt, & oẽs eiuſmo
di ſimiles.Ad hęc,omnis connexa propoſitio dua

bus conſtat categoricis, uel affirmatiuis uel nega
tiuis, uel altera affirmatiua uel altera negatiua, q̃
ex re quatuor fiunt connexarũ ſpecies hoc pacto:
Si dies ẽ, ergo lux eſt, ſi nec illud, nec hoc. Si dies ẽ,
nox nõ eſt: ſi non illud, hoc igiť. Verũ quoniã pro
poſitiones (quas repugnãtes diximus) tertiũ con
ditionalium modum condunt, de his nunc diſſe-
remus, ſi prius quæ repugnantia dicantur, expoſu
erimus. Repugnantia dicuntur quæ ita inter ſe cõ
ſequuntur, ut quod unum contrariorum conſequi
tur, reliquo cõtrario comparatur, uel ut unius par
tis oppoſitum, alteram partem natura conſequiť.
Nam cum amicus & inimicus cõtraria ſunt, quo-
niam nocendi ſtudiũ inimicitias cõſequitur, ſi qs
amicum ſtudere ut noceat dicit, repugnãtia dicit.
Repugnans itaq; propoſitio eſt, quæ repugnanti-
bus terminis aut partibus annectitur. Terminis
categorica repugnat, ut ſi dicas inimicum adeſſe
inimico: partibus, conditionalis, quæ ſi duabus af-
firmatiuis coniungitur, adiecta, ſi ex duabus ne
gatiuis dempta negatione poſterioris partis repu
gnãs eſt: ſin ex altera parte affirmatiua, altera ne-
gatiua, conditionalis compoſita eſt, ſiue negatio-
nem demamus, ſiue alteri quoq; parti negatiõem
apponamus, repugnantia efficiuntur hoc pacto:
Si dies eſt, lux non eſt: hęc repugnans propoſitio
eſt, quoniam pugnantibus conſtat partibus. nam
lucem non eſſe noctem conſequitur, nox autem
diei oppoſita eſt. Quare ſi pugnantia ſunt quo-
ties quod contrariorum alterum ſequitur, alteri
iungitur, diem eſſe, & lucem non eſſe, pugnantia
ſunt. Eſt autẽ repugnans propoſitio, quę his con

ſtituta eſt. Hæc ergo, ſi dies eſt, lux nõ eſt, quæ eas partes continet, repugnans eſt. Itẽ ſi animal non ẽ, homo non eſt, ex hac repugnans ſi poſteriori parti negatio demat̃, atq; ita dicat̃, ſi animal nõ eſt, hõ non eſt. Huius propoſitionis partes ſunt pugnãtes, quoniam oppoſitum unius alteri natura iungit̃: ẽ enim animal, ſi hõ eſt. Itẽ ſi dies eſt, nox non eſt: q; ſi non dies eſt, nox eſt. In his (ut diximus) ſiue alteri quoq; parti negationem adijcias, ſiue eam quæ ineſt tollas, pugnantes facies: utraq; enim pugnãs eſt, ſi dies eſt, nox eſt: &, dies non eſt, &, nox non ẽ. Nam & noctem eẽ oppoſitum eius ſequit̃, q̃d eſt diem eſſe: ſequitur enim, ſi dies nõ eſt, & noctem eſſe, & noctem non eſſe ſi dies eſt, ſequitur: diẽ autem eſſe, ei opponit̃ quod eſt, diẽ non eſſe. pugnãt igitur partes, ergo repugnãtes ſunt & propoſitiones. Sed de connexis propoſitionibus hactenus.

Nunc de ſyllogiſmo dicamus. Syllogiſmi quos cõditiõales Latine, uel propoſitiões appllare poſſumus, tribus conſtant partibus, propoſitiõe, aſſumptione, cõcluſione. Hoꝶ ſeptem ſunt modi, quorũ tres è rationali, quatuor è diſiunctiua & copulatiua oriuntur. Primus modꝰ eſt, cum primum aſſumitur, ut annexum concludatur hoc modo: ſi homo eſt, animal eſt, atquí homo eſt, animal igitur eſt. Item, ſi animal non ẽ, homo non eſt, nõ eſt autem animal, non eſt igitur homo. Secundus eſt cũ annexum in aſſumptione tollit̃, ut id quoq; quod antecedit tollat̃ hoc pacto: Si homo ẽ, animal eſt, atqui animal nõ eſt, nec homo igit̃. Item hõ nõ ẽ, ſi animal nõ eſt, atq homo eſt, animal igit̃ eſt. Itẽ ſi dies eſt nox non eſt, ſed eſt hoc, non illud igitur,

Item, ſi ſanus non eſt, ægrotat, atq non ægrotat, ſa nus igitur. Tertius eſt modus cum propoſitiõis ne gatiuæ conditionalis, quæ repugnantibus aut con trarijs conſtat partibus, antecedens affirmatur ut annexum tollatur, hoc modo: Non ſi homo eſt, animal nõ eſt, atq homo eſt, animal igit̃ eſt. Item non ſi repudiata eſt, uxor eſt, ſed repudiata eſt, u xor igitur non eſt. Significãt autem hmõi negati uę propoſitiones, impoſſibile omnino eſſe, ſi ante cedens eſt, quod conſequens ſit, unde & concluſio nem neceſſario ſemper inferri demonſtrant. Diximus autem ẽ contrarijs uel repugnantibus cõſta re partibus huius tertij modi propoſitiones, quoniam quæ aliter ſe habent, ſyllogiſmum nullũ cõ ſtituunt, neq; impoſſibile ſignificant, poſito antecedente nõ eſſe conſequens. Quare ſyllogiſmum inde nullum facimus, ſed qui contra fieri poſſet, eum deſtruimus, ut pro Milone Cicero: Niſi uero aut ille dies in quo Tib. Gracchus eſt cæſus, aut il le in quo C. Annius, aut in quo arma Saturnini, nõ ſi ẽ rep. oppręſſa ſunt. remp. tamen non uulnerau e runt. Nam cũ poſſent aduerſarij Milonis dicere, ſi ẽ rep. fuit cædes Clodij, remp. non uulnerauit, uul nerauit aũt remp. quoniam aduerſus eam facta ẽ, ut ſenatus decreuit, nõ fuit igitur ẽ rep. ut Milonis deſẽſores innuere uidentur. Cicero, ſi ẽ rep. fuit cæ des Clodij, remp. tamen non uulneranit, opponit: cuius ſenſus eſt (ut diximus) antecedente dato nõ ſequi eſſe uel non eſſe quod annexum eſt. Idq; pro bat tribus exẽplis, quorum primum (ut in formã ſuam ſeparatim redigatur) id eſt, non ſi ẽ rep. Tib. Gracchus oppreſſus eſt, ille dies in quo cæſus eſt,

*Cicero pro Milone.*

remp.non uulnerauit. Alterum,non ſi Annius e re-publica oppreſſus eſt, ille dies in q̃ cęſus ē,remp. non uulnerauit. Tertium, Non ſi arma Saturnini in illo die quo cæſus eſt, e rep. oppreſſa ſunt, rēp. tamen non uulnerauerunt. ꝙ ſi hæc ita ſe habent, poteſt & P.Clodi⁹ e rep.cæſus eſſe,& remp. tamē non uulneraſſe, cum nulla ſit uis in libera ciuitate inter ciues ſuſcepta niſi cōtra remp. Hæc diximus latius,ut ille locus qui ſubobſcurior eſt(cum multa in unum contorta oratione confundat)recte intelligatur, uel ut ex hoc etiam intelligas, q̃ rudes q̃ꝗ ignorantes illi ſint,qui ſine artificio præclaros oratores ſcripſiſſe contendunt: quare ſi quis artificij expers eos intelligere uelit, is ad nucleum cum nullo pacto peruenire poſſit,quaſi inſanus contemnendus eſſe uideať. Duplex ergo negatiuæ huiuſcemodi cōditionalis ſenſus eſt: Vnus ex quo tertium conditionalem ſyllogiſmorum modum conſtituimus:alter ex quo nullum facimus ipſius ſyllogiſmum,ſed aut factum diluimus,aut ne fiat ꝓuidemus. Prioris exemplum, nō ſi dies eſt,lux nō eſt.i. non ſequitur,ſi dies eſt,quin lux ſit. Poſterioris, non ſi dies non eſt, lux non eſt .i.non ſequitur non eſſe lucem, ſi dies non eſt. Item, non ſi homo eſt, albus eſt. non enim ſequitur album eſſe ſi homo eſt.Ita primus ſenſus in ijs quæ ex cōtrarijs uel repugnantibus conſtant,alter in reliquis habeť.

Verum hoc tertio ratiocinationis modo breuiſſime inferuntur (Cicerone teſte)quæ ad Herenniū ipſe contraria appellat, Græci enthymemata per excellentiam dicunt. nam cum omnis ſententia enthymema græce dici poſſit,hæc maxime quę

*Boetius expreſſionẽ, Cicero et Trapezontius ui dicendi attẽdunt. Quare et hi et ille recte, ſed alio et alio intelligendi modo.*

ſunt acutiſſima, nomen commune tanq̃ propriũ poſſederũt, qua ratione Ariſtoteles etiam motus, omnem impfectam rõcinationem enthymema uocat. eſt ẽm tãto acutior abſoluto ſyllogiſmo ſimplex concluſio, quanto breuior. Verum enthymemata rhetorum quę acutiſſima ſunt, neſcio qua ratione impulſus Boetius, tertij modi ſolam eſſe contendit propoſitionem in commentarijs quos ſup Ciceronis topica edidit, maxime cũ Cicero ex contrarijs hæc concluſa dicat, & ipſa ratio nihil acutius dici oſtẽdat quod in ſe uim rationis contineat. Quare circuitu (quem græce periodũ appellam') uti propriũ oratoris maxime multi dicunt. Quoniam is orationis uno contextu breui ac coacto propoſitionis, rationis, ac cõcluſionis uim abſolutior quidẽ ipſis uerbis continens imperſpectior colligit. Vt ergo circuitus magnã idcirco uim habet, q̃niam argumentationem totam breuius & occultius, & uno ſpiritu abſoluit, ſic enthymema (q̃ rhetores maxime laudamꝰ, ſi ea facile ac copioſe ubi oportet utant̃ ratione) concludi credendum, q̃d & Cicero innuit preſſius, ut pleraq; ſolet, cũ dicat ex contrarijs concludi. Quare non erit ſyllogiſmi propoſitio, ut Boetius ſentit, ſed cõcluſio ſimul ac aſſumptio enthymema, q̃d ut aptius pateat, exẽplo latius enodetur: Quos cum plures eſſent, uicimus, eos pauciores timemus? Pugnãtia hæc ſunt utriuſq; ratione, & quoniam poſterior pars præcedentis oppoſitum conſequitur, & quoniam præcedenti poſterioris oppoſitum annectit, q̃uis & uerba ipſa plures ac pauci, uincere ac timere repugnent. Modum uero couclusionis hunc tam in re-

pugnātibus quàm in cõtrarijs fieri diximus. Quare & enthymema quod aſſumptione & cõcluſiõe conſtat, huiuſmodi eſt: Quos cũ plures eſſent uicimus, eos pauciores timemus? deinde aſſumam⁹, ſed eos cum plures eſſent uicimus, eos ergo pauciores nõ timemus. Huius ratiocinationis aſſumptio in enthymemate primo ut debet, poſita eſt. Concluſio uero cũ negatiue inferri debuiſſet, abſque negatione quidem, ſed cum interrogatione prolata eſt. tenet enim plærũq; interrogatio negationis uim. Ita enthymema huiuſmodi ad ſimplicem concluſionem redire uidetur, quam (ut diximus) Ariſtoteles enthymema uoluit appellari. Differt tamen ab ea nõ ſolum acuitate, ac uiribus, q̃s maiores poſſidet hic modus, ſed etiam quoniam uis illationis apertiſſima ibi, occultior hic, ac ideo animum facilius elabitur, ac labefactat, quod omnium proprium eſt, in quibus artificium magis latet abditum. Hic autem ita reconditum eſt, ut non rudes ſolum, ſed etiam qui rhetoricam profitentur ac docent, omnino fugiat, quos tamen rectius quis fœtores quàm rhetores appellauerit. qui &ſi non magis grati q̃ rudes ſunt, tamen quoniã cupimus hæc omnibus eſſe notiſſima, alia congeramus exempla: Qui ſe amicis inexorabilem præbet, is erit placabilis inimicis? Hæc oratio cõtrarijs partibus iuncta eſt, ex hac in tertio modo rõcinatio fiet hoc pacto: Nõ qui ſe amicis inexorabilem prębet, is erit placabilis inimicis, ſed is ſe amicis inexorabilem præbet, nõ is igitur erit placabilis inimicis. Item hoc metuere, alterum in metu non ponere. Hoc eñi ita breuius in topicis poſuit Cicero,

nos latius atq; apertius abſoluamus. Paucos inter ficere ciues metuis, totã remp. interire nõ metuis? Hic ſimiliter contraria, metuere & non metuere. Omnia oppoſita præter relatiua, ſæpius contraria ſolent nominari. fiat igitũ ratiocinatio in tertio ſic: Non & paucos interire ciues metuis, & totam rẽpub. interire nõ metuis? ſed paucos interire ciues metuis, totam ergo remp. interire magis metuis. Magis adijcimus, ut oſtenderemus creſcere nonnũq̃ enthymema, & maioris ac minoris uim acutius ſuboſtendere. Non enim quemadmodum dialectici diſtinctius rõcinatiõis partibus poſitis, atq; ſimplicius (ut in hoc opuſculo docendi cauſſa fecimus) ſic oratores ſeparatis atq; integris partibus argumentatiõem concludunt. Nam id ut docẽti neceſſarium, ſic ab eo qui dicit alieniſſimũ: ſed cõfuſis nonnunq̃ partibus, plerunq; alijs neglectis, alijs mutatis, alijs mancis, preſſius quod uolunt & acrius complectuntur. Quod & princeps ille non ſolũ intelligendi, ſed etiã dicendi Ariſtoteles factitat. Verũ qui docet, niſi rem omnẽ ordine ſuo in lucem efferat, uel quoniam ignorat, uel quoniam inuidia laborat, omnia ſic confundit, ut auditores dediſcant potius q̃ diſcant. quod ita eſſe hoc ſigno permaxime perſpicies, quod cũ multos annos docuerint, neminem tamen doctum effecerunt. Verũ id ignorantia ita fieri magis q̃ inuidia, id ſigni eſt, ꝙ nihil unq̃ huiuſmodi homines ſaltẽ gloria ſempiterni nominis ſcripſerũt. Nihil enĩ magis doctrinam hominis quanta ſit mõſtrat, q̃ multa recter ſcribere. Quemadmodũ nihil magis ignorantem hominem prodit, q̃ nihil ex ſe recte dicere, ad alie

na ſemper confugere:ac cum ad ſua redire cogit, labi,ac cõcidere.Non enim memoriam(ut pueri) oſtentare,ſed docere debemus.Quare nos qui hęc & docendo, & ſcribendo in lucem proferre conamur,facimus: qui niſi fraude ignorantiæ q̃ multa perpeſſi ſumus,uexati,hæc ſtudia deſiderantibus, non grauabimur quale ſit quod diximus,e Cicero ne oſtendere,ut ad ſimilem diligentiam exemplo ac doctrina cæteros impellamus.In libris ergo de uinatione ita ſcriptum reliquit Cicero: Si ſunt dij, neq; ante declarant hominibus, aut quid uenturũ ſit ignorant, aut exiſtimãt nihil intereſſe hominũ ſcire quid ſit futurũ, aut non cẽſent maieſtatis ſuæ eẽ præſignificare hominibus quæ ſunt futura, aut ea ne ipſi quidẽ dij ſignificare poſſunt. At neq; nõ diligunt nos(ſunt enim benefici,generiq; hominũ amici)neq; ignorant ea quæ ab ipſis conſtituta & deſignata ſunt, neq; noſtra nihil intereſt ſcire ea q̃ euentura ſunt, erimus enim cautiores, ſi ſciemus, neq; hoc alienum ducũt à maieſtate ſua,Nihil eñ eſt beneficentia præſtantius. Neq; non poſſunt futura prenoſcere.Nõ igitur ſunt dij, neq; ſignificãt? Sunt autem dij,ſignificant ergo,& ſi nõ ſignificãt, nullas uias dant nobis ad ſignificationis ſciẽtiam: fruſtra enim ſignificarent Nec ſi dant uias,non eſt diuinatio? Hęc Cicero, Nos uideamus quæ uis, quæ ratiocinationes huic inſint orationi. Vis ineſt loci,qui ab antecedentibus dicitur, & eius qui à p̃tibus eſt. Principalis ille locus à partibus accedit. Argumentatiões quatuor ab enũtiatione partiũ. Vna qua probatur annexum illud, neq; ante declarant hominibus quid uenturum ſit.Quibus parti

*Cicero de diuinatione.*

bus enumeratis,atq; infirmatis,relinquitur, ſi ſunt dij,futura ab illis hominibus declarari.Quam cõcluſionem intulit,propoſitiõe ipſa repetita, quod ſemper ferè factitat, cum oratio neceſſitate rerũ longior q̃ perſpicuitas patitur,ſibi cõfecta eſt.Propoſitione igit́ ipſa reſumpta,integram ratiocinationem in hoc tertio modo ſic conſtituit: Non igit́ dij,neq; ſignificant futura? Nam falſam illam eſſe quam poſuit,enumeratione demonſtrauit. Si eñ aliqua iſtarum quinq; partium ſolum fieri poſſe uideretur,ne dij futura ſignificent, quibus minime fieri poſſe,omniũ infirmatione demonſtratũ eſt. Repngnans hoc eſſe probat, ſi ſunt dij, non ſignificãt futura. Huiuſmodi autem propoſitiones non repuguantes eſſe non poſſunt,quare & oppoſitum eiꝰ intulit negatiõe adiecta,uel ut uerum inferat,uel ut tertij modi propoſititione utatur, uel ut oſtendat repugnantem affirmatiue à ſuperioribus ſeq. Non igitur ſunt dij, neq; enim ſignificant futura, ſed ſunt, ſignificant ergo. Hac deinde concluſione antecedentis loco accepta, aliam repugnantẽ negat. Repugnans hæc eſt: Si dij futura ſignificãt,nullas dant uias ad ſignificationis ſcientiam. hoc enim oppoſitum pręcedentis inſequitur.nam recte infertur: Si non ſignificant, nullas dare nobis uias ad ſignificationis ſcientiam.Eſt ergo repugnans affirmatiua quam negauit,ut ex ea integrũ ſyllogiſmum faciat qui intellexit, hoc modo: Et ſi non ſignificant, nullas uias dant nobis ad ſignificationis ſcientiam.Hanc concluſionem tertio ſimiliter ut & ſuperiorem in ſecundo ſyllogiſmo,pręcedẽs facit repugnãtis huius, ſi dãt uias ad ſignifica

tionis ſcientiam,non eſt diuinatio? Quam negauit ut ex uera propoſitiõe uera inferatur:in tertio mõ ſic:Nec ſi dãt uias, non eſt diuinatio? aſſumptionẽ lectori docto relinqt.Nullius em̃ ſibi curę indocti ſunt,atq dant uias ,hinc cõcludit,ẽ ergo diuinatio. Vides mi Petre,q̃ artificio locus hic pręclaro illi uiro & oratori ẽ abſolutus,quẽ libẽter interpoſuimꝰ ut & q̃d docemus aptius faceremus,& uno ipſius loco tam & cæteros eloquẽtiæ ſtudioſos quã docentes admoneamus, maiore cura quam faciunt, opera Ciceronis exponere, ne indoctiores reddãt auditores q̃ acceperũt,neq nudos animos ipſoꝝ, ſua ignorantia, ineptiores ad bona ſtudia efficiãt. Veꝝ de primis tribꝰ, q̃s oratori cum dialectico Cicero cõmunes ſecit,dictum erit,ſi illud cõmonuerimus, ꝙ iã tetigimus propter orationis elegãtiã demi,addi,cõmutariq nõnulla eorum poſſe, q̃ in dicendo ut res pateat,fieri oportere aſſerimus. Cõmutationis illud tibi exemplo ſit,ꝙ negatiuam diximus cõditiõalem,cum conditiõis notã negatio ꝓcedit,quã Cicero poſtpoſuit, cũ dicat:Et ſi nõ ſignificãt,nullas dant uias.detractionis illud:nõ igitur ſunt dij.neq em̃ futura ſignificant.nam ſi cõditionis particulam in prima propoſitione poſitam detraxit,quã rem aſſumptio demonſtrat. Hinc ne quid huic doctrinę deſit,alios quatuor breuiter exponemus, q̃s dialecticorũ eſſe tãtũ Cicero opinatur,q̃uis ipſe certe orator ſummus,dialecticus etiam(ſi quis ita uult)uel in oratiõibus nõnunq̃ his uſus ſit. Quartus igitur modus ẽ cũ diſiunctiuæ ãncedens in aſſumptione ponimus, ut quod ſequitẽ infirmetur, hoc modo: Aut dies eſt,aut lux ſolaris

non eſt:ſed dies eſt, eſt igitur ſolaris lux.Item,aut ſanus eſt,aut ægrotat,eſt autem ſanus, non ægrotat igit. Quintus modus eſt, cū id quod in disiūctiua præceſſerit,in aſſumptione tollitur,ut quod ſequitur,confirmetur,hoc pacto: Vel uiuit,uel mortuus eſt:ſed non uiuit, mortuus eſt igitur, ſuumq́ obijt diem. Item,aut non eſt dies, aut nō eſt nox: ſed dies eſt,non eſt igitur nox. Sextus & ſeptimus ex diſiunctiua in copulatiuam mutata, negatiōe addita conſtituuntur.& ſextus quidem fit,ſi antecedens ponitur ut coniunctum,ac conſequens interimatur, ſic:Non & riſibile non eſt, & homo eſt, ſed riſibile non ē,non eſt ergo homo.Item,nō & riſibile eſt,& homo non eſt,ſed riſibile eſt, igitur & homo. Septimus fit, ſi negatiuæ propoſitiōis quæ ex diſiunctiua copulatiua facta ſit,antecedens tollitur,ut quod ſequitur perimatur, hoc modo: Non & prudens eſt, & ineptus non eſt:non eſt autem prudens,eſt igitur ineptus. Ita ſeptem hi conditionales modi, tres ex ꝓpoſitione proficiſcūtur,quā cōditionalem proprie appellamus,duo ex diſiūctiua, & duo ex copulatiua negatiua,in qua copula fit ex diſiunctione uerſa. Hinc patet ſextum ac ſeptimū modum in quadam non in omni materia ſyllogiſmos eſſe, quare ſyllogiſmos ego potiꝰ q̃ſdam q̃ ſimpliciter appellauerim.Simpliciter enim ſyllogiſmum dicimus, qui ea ſtructura eſt,ut ſi ea quæ præcedūt uera ſint, cōcluſionis neceſſaria colligatur conſecutio, q̃d tam prædicatorijs q̃ alijs fermè omnibus cōditionalium modis ineſſe uidemus.nam tertij modi cōtendat quis non eſſe ſimpliciter ſyllogiſmū At uero & hi duo poſteriores,

nõ ex omni uera copulatiua,ſed ex ea ſolum, quæ ex diſiunctiua uera uerſa ſit, neceſſariam habet cõſecutionem. Hæc enim uera eſt, non & homo eſt, & animal non eſt. in oibus enim contrarijs ac repugnantibus,quæ ſimul eidem ineſſe nõ poſſunt, huiuſcemodi copulatiua neceſſitatem cõtinet. At ſeptimus ex ea modus confici nõ poteſt, non eñ ſequitur,ſi hõ non ſit,animal quoq; eſſe. Item hæc uera eſt,Nõ & lux eſt, & dies eſt. Lucẽ enim eſſe, & non eſſe diem ſimul fateri quis poterit? At ſext⁹ ex ea modus confirmari non poteſt. neq; enim fit, ſi lux eſt,diem non eſſe. Quod ſimpliciter is ſyllogiſmus eſt qui ea ſtructura conſtat, ut ſemper ex ueris uera colligat,idq; ſextus ac ſeptimus modus non faciat, quoſdam eos & nõ ſimpliciter ſyllogiſmos eſſe neceſſe eſt. Vtuntur uero tam philoſophi quàm oratores, non minus his omnibus ſyllogiſmis qui rei,q̃ ijs qui cõpoſitionis gratia conſequũtur. Nunq̃ enim erubeſcunt ſi res patitur,rem potius q̃ compoſitionem diligenter ſequi, ut pro Milone Cicero: Niſi uidiſſet abſolui eum qui fateretur, non dediſſet uobis tam ſalutarem in iudicando literam. Ab affirmatione enim non prçcedẽtis,ſed annexi ratio procedit.Item,q̃uis preſſius: Si hic illi fecit inſidias,nõ ſit impune:ſi illi huic, tum nos ſcelere ſoluamur.In altero enim ſi q̃d præcedit affirmes,cõnexum primo modo confirmatur, in altero ſi añcedens tollis,tollis & cõſequens,q̃d non cõpoſitionis,ſed rerum ui ſeqtur. Quas ob res danda eſt opera diligenter,naturam,uim,ac ordinem rerũ noſſe,quod exacta topicorum ac exquiſita doctrina pollicetur, deinde ſyllogiſticę cõpoſitionis *Cic. pro Milone.*

uires non ignorare. nam is mihi ſolum poſteritati digna conſcribet: qui hæc neglexit, eius ſcripta tan quàm floſculi celeriter decident. Verum de perfe- ctis ſyllogiſmis ſatis, nunc de imꝑfectis dicamus.

## DE SYLLOGISMO IMPERFECTO.

*Imperfectus ſyllogiſmus.*

SImplex concluſio eſt quæ unius propoſitio- nis neceſſaria conſecutione conficitur ſimpli citer, hoc pacto: Eo iſto tempore, quo Romæ iſtud à me factum dicis, ego trans mare fui. Non ergo feci, nec potui quidem facere. Cõpoſite hoc modo: Contemnis tu uirtutem, cum ſis homo, uir tutem ergo contemnis. Huius rei à iunioribus qui de dialectica ſcripſerunt, multa dantur prǽcepta, quorum cognitio & difficilis eſt, & paꝝ utilis. Illud longe neceſſarium ad dicendũ, locorum uim omnem rõnemq́ꝫ percipere, quod non rhetorẽ ſo lum cõſtituit, dialecticum armat, uerum & ad cæ teras facultates tam ornamentum q̃ copiam affer re ſolet, nec ſolum enthymematicũ facile reddet, ſed omnium ſyllogiſmorum radices & quaſi prin cipia funditus aperit. Quas ob res maxima ſemꝑ dilgentia, topica eſt à maioribus noſtris ratio cele brata. Et profecto qui credit abſq́ꝫ locorum. i. topi- ci artificij cognitione, recte, copioſe, facile inueni re, is cum neq́ꝫ per ſe quanta ſit hæc res intelligere q̄at, neq́ꝫ maiores tam Latinos q̃ Græcos audiat, quaſi demens cõtemnatur. Quare tu quem àd ma- iorum imitationem non caſu, ſed recta ratione in- ſtituere cupio, terminos quǽſtionis ſic diligẽter cõ ſidera, ut gñra, ſpẽs, differentias, ꝓpria, quæ inhæ rẽt accidentia, ꝑtes ſingulas, diffinitiões, notas, an

tecedentia,conſequentia,cauſſas,effectus,coniũcta,paria,& rurſus maiora,minora,cõtraria,repugnantia,ut inquã oĩa hæc quæ intrinſecus aſpicias.Nec te fugiat ſyllogiſmorum uis,natura,ſimilitudo,diſſidentia.Nãſi recte locos intellexeris,exercitatiõe adhibita,mirabilem quandã & facilem habebis dicendi copiam.Nec indoctis ac rudibus auſcultes,qui idcirco putant uel nihil,uel per exiguũ inde nobis ſuppeditari,quod ipſi aut nihil aut parũ educere poſſunt.Nec te quoniam res ardua eſt deterreat.faciet enim eam uſus facilem. Nam qnemadmodum qui literas ſciunt,non eſt neceſſe, quoties legunt aut ſcribunt,toties cogitatione literarũ uim atq; numerum conquirere:ſic qui locos mẽte conceperunt,exercitatiõe firmarunt, uſu innatos ſibi affecerũt,eos neceſſe non eſt,quoties quæſtio propoſita eſt, toties ad eius ſepoſitos locos reuolui,ſed occurrunt ilico peritis ad explicandã quęſtionem,ut literę ad ſingula uerba ſcribenda, etiam ſi non quæris,ut natura non arte ad eas inſtitutus eẽ uidearis. Sed pleriq; adeo ſunt rudes atq; agreſtes, ut anteq̃ locos bene noſcãt, inueniẽdi copiã habere uelint,quaſi uero qſq̃ uerba legere ſcripta poſſit niſi literarũ primo figuras ceperit,deinde uſum lectioni ſæpius atq; ſæpius accõmodauerit. Verũ indoctos tabeſcere ſinamus,nos ne indoctiſimus elaboremus. Oẽs igit̃ loci unde ad ſyllogiſmos mediũ q̃ritur,enthymematici ſunt. Non eñ eſt aliud perfecti,aliud imperfecti ſyllogiſmi mediũ. Quod cum ita ſit, rerum tamẽ ipſarum uel perſpicuitas, uel trita conſuetudo facit, ut concluſione potius ſimplici quàm perfecto ſyllogiſmo utendum ſit.

Nam ſicut in re parum cognita, ratiocinari optet abſolutius, ſic in re aperta, propoſitionum altera faſtidium parit. Sed cum tribus conſtet rõcinatio propoſitiõibus (concluſionem enim etiam propoſitionem uoco) enthymema duabus, dubitare poteris quã ex præmiſſis cõcluſionem potius enthymematis inferre ſolemus. Quæ res ut tibi certa ratione comprehenſa, non ſinat huc & illud tanq̃ imperitum fluctuare, medium terminum maiori & minori compara. Quòd ſi æqualiter antecedere uel cõſequi ad utrunq; uidetur extremum (quod poſſe fieri contẽderemus, quamuis raro æqualiter ex alterutro infertur concluſio) præmitti põt utralibet. At ſi locorum ui conſiderata, certius aut ueriſimilius extremorũ alterum antecedit aut conſequitur, certior aut ueriſimilior eſt præmittẽda: quod in dicendo qui non obſeruat, non ignorantiæ ſolũ, ſed tarditatis quoq; crimine accuſandus. Illud apprime tenẽdum, ſimplicis concluſionis (ſi neceſſaria uti debet conſecutione) concluſionis oppoſitũ præcedenti repugnare, ſi ueriſimiliter conſequat̃, connecti poſſe: ut mater eſt, & filium non diligit: hæc quoniam connecti poſſunt, neceſſaria iſta non eſt conſecutio, mater eſt, ergo filium diligit. Ad hæc, quoniã ſimplicis concluſionis conſequẽs, alterius conſequentis antecedens fit, & eius ſimiliter conſequẽs alij antecedit, quod primo omnium anteceſſit, neceſſaria conſecutione ad ultimum cõſequẽs præcedere, quod etiam in orationibus fieri obſeruauimus, hoc pacto: Si ridet, hõ eſt, ſi hõ ẽ animal eſt, & ſi animal ẽ, ſubſtantia ẽ. & aſſumẽdo, atq; ridet, ergo ſubſtãtia eſt. Præterea tenendũ

optime eſt, oratores maxime in dicendo ſolere, cũ ratione aliqua quicq̃ uelint comprobare, unicam propoſitionẽ dicere, auditoribus cætera relinquere. Habet enim plerunq; breuitas, quando res adaperta eſt, maiores neruos implicita, quos incidit explicita oratio, ut in epiſtola ad Plancum: Senat⁹ tibi nõ amicitior eſt, q̃ tota ciuitas. Mirabiliter eñ populus Ro. uniuerſus, & omnium generum ordinumq; cõſenſus, ad liberandam remp. cõſpirauit. Quæ ratio etſi plurimum moueat, parꝫ tamen accommodata, ſubtilius hæc perſcrutanti uidebitur, niſi ad ſyllogiſmũ cuius uiribus nititur, abſoluti⁹ reducatur. plurimum enim afferre ad probãdum tam ſenatum q̃ totam ciuitatem amiciſſimam eẽ Planco, primo impetu uidebitur ſola, exanimata langueſcit ac labitur. Quare uires ſuæ per ſyllogiſmum perſpiciantur hoc pacto: Omnes ad liberandam remp. mirabiliter conſpirant, uehementer amant eum qui remp. liberare & uult & poteſt, ſed populus Ro. uniuerſus & omnium generum ordinumq; conſenſus ad liberandam remp. mirabiliter conſpirauit, populus ergo Ro. uniuerſus & omnium generum ordinũq; conſenſus uehemẽter amant eum qui rẽpu. liberare & uult & poteſt, ſed utraq; tibi inſunt, tibi ergo tam ſenatus q̃ tota ciuitas eſt amiciſſima. Ita una propoſitio, ſyllogiſmi unius & ſimplicis concluſionis uires habet. Qua ex re uides quanta ignorãtia illi ſunt inuoluti, qui putant in oratoribus, ac maxime in Cicerone uerborum eſſe copiã non ſententiarum. Nam cum nec quid dicat, nec cur dicat, nec q̃mõ intelligant, uerborꝫq; ſolã uenuſtatem conſiderẽt, dãnare audent

quem non intelligunt.nec mirum, cum pleriq; eorũ qui hanc dicẽdi copiã profitent̃, q́q; dicẽdo Ciceronis libros apire conant̃,id ita eſſe cõcedũt. Verũ tu hos ignorãtes cõtemne,& plurima ſic dicta diligẽtius examines, ſubtili⁹ accõmodes, nec rõcinatione putes, ſed inuẽta implicite atq; ĩuolute conſcripta,uel ut magis breuitate moueant,uel ut artificium obſtruſum lateat Quod null⁹ certe pcipiet,niſi quod inuolutius cõplicatum eſt,latius explicet,q̃d tamen non in omnibus. Nam cuncta q̃ orationis uĩ obtinẽt,ad prędicatorios ſyllogiſmos reduci poſſe,nemo peritus negabit.Nõ ergo in omnibus,ſed in obſcurioribus faciendum eſſe arbitror.Ac de his ſatis.

## DE DIFFINITIONE ET DIVISIONE.

NVnc de diffinitiõe ac diuiſione cõiunctim pauca dicamus.Nã ita ſe habẽt,ut altera alterius egere uideat̃.Nec enĩ niſi qui recta diſtributione uſus eſt diffinire ſe unq̃ intelliget: nec unq̃ recte diſtribuere poteris niſi q̃d ſit q̃d diſtribuendnm eſt, cõſcripſeris. Diffinitio eſt coactæ in ſe atq; complicatę rei breuis atq; abſoluta explicatio.Diffinitionum quatuor genera: Subſtãtiale, deſcribens, per partitionem, per diuiſionẽ. Nam qui plura faciunt,ea cõnectunt quæ aut ad hęc facile reducuntur, aut leuiora ſunt q̃ ut diffinitiões appellari poſſint. Subſtãtialis diffinitio eſt oratio quæ id quod diffinitum quid ſit explicat,breuiter & abſolute complectit̃.Per partitionẽ diffintiio, eſt oratio quæ per enumerationem partium breuiter & abſolute aliquod totum oſtendit.Per diuiſionem diffinitio,eſt oratio quæ ſpecierum diſiũ-

*Diffinitio*

*Subſtãtialis.*

*Partitione.*

*Diuiſione.*

ctione breui ac abſoluta gen⁹ aliquod oſtendit. Diuiſio alicuius in ptes ſuas eſt diſtributio. eius duo ſunt genera: Vnũ, quod per ſe rem aliquam diſtribuit: alterum, quod per accidens partitur. Prioris rurſum tres ſunt ſpecies: Generis in ſpecies, quæ ꝓprie dicitur diuiſio, ut animal hoc rõnale, illud irrationale. differẽtias etiam formę ſpecieiq́ꝫ nomine cõplectimur. Totius in partes, quã participationẽ proprie poſſumus nũcupare, ut dom⁹ in fũdamentũ, in parietes, tectũ. Vocis in ſignificationes, quę diſtinctio appellať, ut canis uel piſcis, uel terreſtre aĩal uel ſidus. poſterioris itidẽ tres ſunt modi, quo ſubſtantiã quę ſubijciť, per accidẽtia partimur, quę ſubiecti in accidẽtia diuiſio dicitur, ut hominũ alij pij, alij impij. Quo accidentia per ſubſtãtias, quã accidentis in ſubiecta nominamus, ut omniũ quæ expetunť alia in corpore, & alia in anima ſita ſunt. Extremus, accidẽtis eſt in accidentia diſtributio, ut candida oĩa uel dura ſunt, uelut lapides albiſſimi, uel liquentia, ut nix, Hæc accidentis in accidentia diuiſio ſola in alterutrũ ſeparatur, ut eorũ quæ dura ſunt, quædã alba ſunt, ut lapis Parius, quędã nigra, ut terebinthus. Et rurſus eorũ quæ nigra ſunt, alia dura, ut ebenus, alia liquentia, ut pix. His ita dictis cõmuniter, illud mihi pręcipiendum uideť, diuiſionẽ gñris, & eaquæ ſecũdũ accidẽs eſt, in oppoſita ſemper fieri, & cũ oppoſitionis ſpecies quatuor ſint, cõtraria cõmodiſſime omnium adhiberi, contradictoria etiã, & q̃ per priuationẽ & habitum dicuntur, non eſſe abijcienda. q̃ uero relatiue opponunturr, ſi rem per ſe diuidamus, nullum habere locum: ſi per accidens nõ omnino negligẽda.

Diuiſio.

Dicimus autem homines alios dominari, alios ſeruire. Item omnem diuiſionem (ea excepta quæ uocem in ſignificationes diſtribuit) nil oportere plus minusue continere. Verum cũ uocem in ſua ſignificata diſtinguim⁹, ea cõplecti nonnũq̃ ſufficiet, quæ ad rem noſtram faciunt. Eſt autẽ omnis diſtinctio duplex: Nam aut unius ac ſimplicis eſt termini, quæ diſtinctio æquiuoce dicitur. aut orationis, quam amphibologiam Græci, nos ambiguum dicimus, ut Dico te Aeacidem Romanos uincere poſſe. Ambiguum adiectiõe termini, uel mu-

Aequiuocũ. tatione orationis, aperiendũ. Aequiuocũ ſi inſtitutione æquiuocum eſt, ad grãmaticos confugiẽdum. Dicimus autem æquiuocum, quod nec accẽtu, nec aſpiratione, nec genere, nec orthographia, nec numero diſtingui poteſt. Sin modis quibuſdã ad multiplices uariaſq́; res terminis applicari põt, aut ex ſe ſolo, aut ex adiũcto poti⁹ huiuſmodi uim habere dicitur. Primi diſtinctio, non unius doctrinæ: Multa enim aliter phyſicus, aliter primus philoſophus, aliter dialecticus, aliter orator exponit, Quamobrem inſanire mihi uidentur nõnulli, qui adeo rudes atq; indocti ſunt, ut audeant aſſerere dialecticum ęquiuocãtem effugere non poſſe, niſi ſingulorum uerborum uim ac poteſtatem optime nouerit, quæ à grãmaticis traditur: quam ſi apprime tenuerit, ęquiuocis ipſum implicari nõ poſſe. Raro enim & pene nũquàm multiplici ſignificatione uerbi dialecticus aut decipit, aut decipitur. Modi ergo quidam, qui etiam eos ipſos q rõcinantur fallũt, quæ eos diſtingueret, unius nõ eſſe diſciplinæ Ariſtoteles oſtẽdit, qui multa in phyſicis ut

naturalis,qui multa in prima philoſophia ut metaphyſicus,multa in ethicis ut moralis, nõnulla in dialecticis ut logicus diſtinxit. Verū ut quale ſit q̃d diximus pateat,exemplis utamur.Infinitum dicimus,cuius terminum inuenire non poſſumus,unum ergo ſignificat,ſed tamē alio quodam modo continuum,alio diſcretum, infinitum dicimus. Et hoc quidem appoſitione,illud diuiſione infinitum aſſerit Ariſtoteles. Tempus autem utroq; modo q̃uis ſi quis continuum non diuiſionis termino, ſed magnitudinis infinitum fingit, non diuiſione ſolū, uerum etiam appoſitione infinitum dici poſſet.Itē unum in phyſicis quidem Ariſtoteles cõtinuo dicit,ut linea una indiuiſibili,ut punctus unus.ratione,ut uinum,uappa.In quinto primę philoſophię ſecundum ſe, & ſecundum accidens unum diſtinguit. Eiusq; quod unum ſecundum ſe eſt, multos ſubijcit modos,ac dialectici numero,ſpecie,genere(ut Cicero,homo,animal)unum dici perſpexerunt.Ita cum unum ſit quod à cęteris ſeiunctū ſit, ipſum ſecundum unum quod inuiſibile eſt,hac una eademq; ſignificatione ſemper dicitur, modus uariatur.Alterum modum multiplicis diximus,cū non ex ſe,ſed ex adiuncto terminus adeo uarijs atque multiplicibus modis ſumitur,ut non eandem poteſtatem,ſed aliam atq; aliam habere uideatur, ut homo cum dico,quid ſignificet uides,pro quo accipiatur,ignoras.Si diſputat aut ſi ſpecies eſt,adiunxero,aliter atq; aliter accepiſti.Has ſuppoſitiones iuniores appellant. Quas ſi quis penitus tenere cupiat, dialecticos qui ea de re multa & proterſa uolumina conſcripſerūt, diligenter euoluat.No

bis ſolum admonuiſſe terminorum acceptiões ex adiuncto mutari ſufficiat. Nam eius rei diligẽtior doctrina & longior eſt, & ad uſum orator℞ affert pené nihil. Viderint etiam ne complura eiuſmodi nõ ad uſum, ſed abuſum iniecta ſint Quod ſi quis putauerit in ſtatu legitimo per ambiguũ amphibologiam huiuſmodi poſſe incidere, cum id uſu euenerit, dialecticos cõſulat: nos quoniam raro ac pené nunq̃ accidere putamus, tam longã atq; obſcuram doctrinam prætermiſimus. Et hæc quæ diximus eò tẽdunt, ne tu etiam ſicuti omnium rerum ignari, ad dialecticas amphibologias, & ęqui uocationes, grãmaticum putes multa poſſe cõferre. Nunc quoniã de uocis ſignificatione diximus, pauca de partitione totius etiam generis diſſeramus. nam cæterorum uel ex ĳs quæ dicta iã ſunt, uel ex ĳs quæ dicentur, apertiſſime ratio cõſtabit. Totum igitur quatuor modis dicitur: Specie, continuo, uniuerſali, uirtute ac poteſtate. Totũ ſpecie cum partimur, in ſubſtãtiales ptes partimur. Subſtantiales partes ſunt, quibus uniuſcuiuſq; ſubſtantia primo conſtat, & materia & forma. Hoc modo dicimus hominem anima & corpore conſtare. Totum continuum in partes ſemper integrantes ſcindimus. Integrantes partes dicimus, quæ totum ita componunt, ut nõ ad formam, ſed ad materiã eius reduci uideantur. harum aliæ ſimiles, alię diſſimiles. Similes dicuntur, quę ſunt eiuſdẽ rationis, ut caro, oſſa, nerui, cæteraq; quibus an imaliũ corpora componuntur. Diſſimiles, quę non ſunt eiuſdem rõnis, ut hõ, in caput, thoracem, manus, & pedes partitur. In partitione huiuſmodi, præter ea q̃

de omni diuiſione communiter diximus, danda ẽ opera, ne partes partium cõmiſceamus. nã qui hominem in pedes, thoracem, caput, brachia, manus & digitos partitur: aut cũ dixit caput, oculos, aures, cæteraſq; eiuſmodi addit particulas, omnia cõfundit. Totum uniuerſale in indiuidua diſcerpitur. Id in uirtutes ac poteſtates ſcindit̃, ut aĩa in uegetantem, ſenſibilem, rationalem. Non enim generis in ſpecies uel differentias hæc diſtributio eſt. impmixtæ nanq; ſunt ſpecies ſemper atq; differentiæ, nec cum partibus ſuis continuum nullo mõ prędicari poſſit. Nec de ſe rei uniuerſalis indiuidua, uel q̃niã poteſtates ipſæ genera non indiuidua, uel quoniam in indiuidua æqualiter uniuerſale deſcendit. uerum de totius diſſeparatione ſatis dictum eſt. Generis autem in proximas ſpecies fiat diuiſio, nã qui dicit, ſubſtantiæ aliud animatum, aliud inanimatum, cum nõ in ꝓximas differẽtias partitus ſit, non recte diuidit. nam & ſi tam animatum quàm inanimatum ſubſtantia eſt, non tamen in hæc primo, ſed in corpus & incorporeum ſubſtantia ſcinditur. Deinde corpus in illa, & illa in corpꝰ animatum ſenſibile ac inſenſibile, eoq; modo uſq; in ſpecialiſſimas ſpecies. Primum igitur diligenter aduertamus, ut in primas ſpecies uel differentias diuiſio fiat: deinde ut ſpecies potius quàm differentias accipiamus. In ſpecies enim proprie genus non in differentias ſcinditur. Verum quoniam rerum ſpecies plerunque nomine carent, maximeq; illæ quæ rurſus tanquàm genera diſiungi poſſunt, quas ſubalternas nuncupamus, differentias ſpecierum loco ponimus. Nam cum differentia

ſit qua aliud ab alio diſtare aſſerimus, oīs differentia ad diuiſionem, quamuis non omnem, idonea ē. Differentia igitur triplex eſt, quæ actu à ſubiecto ſeparari poteſt, ut ſedere, ſtare, candidū eſſe, nigrū eſſe. Quæ actu quidem non ſeparatur, ſed ſola ratione, ac mente diſiungi poſſe percipitur, quomō album cygnū à nigro coruo differre uides. Et quæ nullo pacto, non modo non actu, ſed ne mente q̄dem tolli poteſt. nam ſi tollitur, id quo ꝙ perimit̄ quod ea re ab alijs differt, ut rōnali à cæteris hō differt. Et ſi rationem ab eo tollas, nec homo quidem erit, quam differentiam ſolam in diuiſione generis adhibere debemus. Nam reliquæ, diuiſioni quæ ꝑ accidens ſit, accōmodantur. Ipſas ergo ſuſtantiales quas & ſpecificas appellari diximus, ſub genere ponemus proximo, ſempꝗ; oppoſitas (ut iā dictum eſt) inueniemus. Per præpoſitionem negationis cum uni tātum differentiæ nomen ſit inditū, ut numerorum alij primi, ſicut tres, ſeptem: alij nō primi, ut nouem. per contraria, ut colorum alij nigri, alij albi, alij neutri. per habitum & priuationē, ut animalium alia rationalia, alia irrationalia. Reliqua quæ relationis eſt oppoſitio, in diuiſione generis locum non habet. ad hæc, ordinem quēdam retinere debet diuiſio, ut negatio ſemp poſtrema ponatur, affirmatio & habitus præcedat. nam & docemur facilius, & natura prius affirmatio & habitus eſt, poſterior negatio atꝗ priuatio. Diuiſione generis uſꝗ ad ſpecies ultimas recte diducta, facile erit omnem ſpeciem quę primo generi ſubiecta ſit ſubſtātiali diffinitione complecti. Conſtat eñ diffinitio genere atꝗ differentijs. Quare nec gene-

raliſſima hac diffinitione nec indiuidua diffiniri poſſunt. necenim ultimum ultra ultimũ eſt, nec indiuidua ſubſtantiali differẽtia differre poſſunt. Cum igitur rem aliquam diffinire uolumus, facta diuiſione ſuperioris generis uſq; ad extremas ſpeci es, genus eius rei proximum primo, deiñ eius ge- neris diuidentem differentiam generi adiũgimus: quæ ſi rei non exequantur ita ut non conuertan̄t, tertiam adijciemus, uel etiam quartam, quoadu ſque diffinitio nec plus nec minus, ſed rem ipſam ꝑ fecte abſoluteq́; complectatur, adeo ut cũ ea con- uertatur: ut cum uolo diffinire hominẽ, primo ani mal quod homini proximum genus eſt, deinde ra tionale aſſumo, dico q́ hominem eſſe ratiõale ani mal, qua oratione ſubſtãtia hominis explicata ẽ, niſi quis putet (ut Platonici) cœleſtia quoq; corpa, quę perpetua ac immortalia ſunt rõnalia, eſſe ani malia. Tunc enim ex ſectione rationalis animalis, mortali atq; immortali, mortalitas diffinitioni ho minis eſt applicãda, ut homo ſit animal rõnale at- que mortale. Quòd ſi quis (ut antiq̃tas credebat) nymphas eſſe quaſdam longæuas, mortales q̃dẽ, ſed hoc hominibus diuiniores, q́ ex ſe rõcinando diſcant, cum homines ſi nihil penitus audiant, ni- hil diſcant, ſi quis inq̃ id uerum eſſe putabit, facta huius innominati generis diſtributione, q́ hoc ex ſe quidem rõcinando ſciat, illud uero non ex ſe rõ- cinando primo, ſed quod audiẽdo re atq; actu di dicerit, ſciat, diceremus hominem eſſe animal rati onale, mortale, diſciplinæ capax. Ac ita demum q̃c quid homo erit, huiuſmodi erit animal, & quicq̃d huiuſmodi animal, homo erit, nec plus nec minus

poſitum erit in diffinitione. Quod cum accidit, uertere retro poteris. Diminuta eñ diffinitio uerbis, maiorem: abundans, minorem rerum cumulum facit. Item, cum quid ſit uerbum adinuenire ſtudeam, genus primo, uocem ſcilicet, aſſumam, & cũ omnem uocem uideam in duo ſcindi, in eam quę aliquid, ac in eam quæ nihil ſignificat. uocẽ ſignificantem dico eſſe uerbum, ſed non ſufficit. nã ſignificãtium uocum, quæ natura ſiguificãt, uerba nõ ſunt. addo igitur inſtitutiõe ſignificans, ut à nomine ſeparem: cum tempore, ut ab oratione uerbum ſegregẽ: cuius nulla pars ſignificat ſeparata, uideo eſſe adijciendum. Ita diffinitio uerbi, rei exæquata, eſt uox inſtitutione ſignificans cum tempore, cuius nulla pars ſignificat ſeparata. Verum quemadmodum ex diuiſione colligitur diffinitio, ſic ex diffinitione rurſus haberi diuiſio poteſt, ueluti ex hac ipſa uerbi diffinitione, uocem diuidemus ſignificãtem, in natura ſignificãtem, ut gemitus: & inſtitutione, & hanc cum tempore, uel ſine, & utranque, in eã cuius partes ſeparatę aliquid ſignificãt, ut oratio: & in eam, cui⁹ pars nihil ſignifiicat ſeparata, ut nomen, ſi abſq; tempore: ſi cum tempore, uerbum. Nã cum ex una pte differẽtiæ in diffinitionẽ inductę ſunt, facile eſt eodem ordine oppoſitas ex altera parte collocare. Ex hiſce omnib⁹ illud pſpicuum eſt, res multo pauciores eſſe q̃ terminos. nã ſi termini rebus exæquarentur, tam diffinitio, q̃ diuiſio duobus tantum terminis incomplexis fieret, ut ſi huic generi quod eſt animal rationale mortale (nihil enim prohibet ita exemplo uti, tanq̃ ſi lõgæuæ nymphę nulla exiſterent diſciplina ſciẽtes

ſi huic inquā rei quę genere una eſſet, incōplexus terminus eſſet impoſitus, ſimiliterq́ꝫ huc differentiæ, quæ eſt diſciplinę capax, diffinitio, quæ longior facta eſt terminornm inopia, duobus tantum confecta eſſet, eodem modo ſi ei generi uocabulum eſſet, quod orationi cum uoce ex inſtitutiōe ſignificanti cum tempore, uel ſine tempore commune eſt. & huic differentiæ ſimiliter, quæ eſt cuius nulla pars ſeparata ſignificat, diffinitio nominis uel uerbi duobus terminis cōſtaret. Hoc ipſum & in diuiſione conſpicere licet, ut cum dicimus, rerum omniū quędam ſunt bona, quædam ſunt mala, quædam indifferentia, quæ græci dicunt ἀδιάφορα: tripartita facta diuiſio eſt, quoniam ei⁹ quod eſt indifferens, proprio uocabulo caremus. Nam ſi quisita diſtribueret, rerum omnium alia differentia, alia īdifferentia: differētiū alia bona, alia mala, in duosquidem terminos ſecaret, uerum tam auditores q̄ ſeipſum ignorātia confunderet, cum differens (niſi aliud quid ante cōceſſerit) differentiæ omnis & ęqualitatis aut ſimilitudinis cuiuſq́ꝫ ſignificantiam habet. Quare oportet diuidendo ne cōfuſio fiat, quæ diſtinctioni oppoſita eſt, certa præponere, ut incertiora quaſi circumſcripta determinētur. Verùm de ſubſtantiali diffinitione hactenus. Nunc de cæteris breuius perſtringamus.

Deſcriptio accidentalis differentias quæ ſeparari non poſſunt coutinet. Et ſi totam rem abſolute huiuſmodi una oſtendit differentia eam ſolam ponem9, ut homo eſt quod ridere poteſt: quod ſi id non accidit cęteras apponem⁹, quouſque uertere deſcriptionē cū re poſſimus, ut animal eſt q̄d

propria ui poteſt in oppoſitos locos moueri. Enumeratione partium aliquid diffinimus, cum integrantes omnes atq; principales aſſumimus ptes, ut quod uolumus oſtendamus, hoc modo: Dom⁹ eſt quæ fundamentis & parietibus conſtat. Quòd ſi parum partes afferre uidentur, uel formam, uel finem apponemus. Nam & theatra columnis ex aliqua parte ſuſtẽtata, tecta domus non ſunt. Quare, ſi undiq; parietibus coniuncta atq; concluſa dicas, formam: ſi ad habitationem cõſtitutam, finẽ. ſi utrunq;, utroq; rem ſignificãtius expreſſeris. Hæc à deſcriptione differt. nam & ſi qua ſi partes in illa etiam connumeranť nonnunq̃, hic tamen ſemper ſingula diffiniendo minora ſunt, quæ in deſcriptione uel maiora uel ęqualia, nunq̃ minora inueniri poſſunt. Per diuiſionem diffiniemus, cum aliquod genus quid ſit per ſubiectas ei partes omneis proximas atq; diſiunctas explicamus, ut animal ẽ q̃d ſenſu tantum uel ſenſu ſimul & ratione utitur. Hęc diffiniendi ratio generaliſſimis generibus accommodatiſſima eſt. Nec enim facili⁹ aut perſpicatius ea quid ſint enodare poſſumus, q̃ ſi ſpecies uel differentias eis primo ſubiectas omneis, uel ſpecierũ diffinitiones diſiungendo proferamus: ut ſubſtantia eſt, quæ uel ſenſu uel mente per ſe eſſe comprehenditur. Et quãtitas eſt, cum cuiuſq̃ partes uel cõmuni termino coniunguntur, uel diſtincte aceruũ ex unitatibus conſtituunt. hoc modo, & quod eſt deſcribimus, cum dicimus: Ens eſt quod uel per ſe conſiſtit, uel alteri inhæret. Quòd ſi quis non proxima, ſed longiora enumerat, quæ tamen cuncta ꝓpter multitudinem comprehẽdi non poſſunt, nõ

per diuiſionẽ explicabit,ſed ea ratione utetur,quã non nulli diffinitionem nõ recte,Græci τύπον appellant,ut ſubſtantia eſt, uerbi gratia, homo, equus, bos,arbor. Sed de diuiſione ac diffinitione ſatis multa: Nunc de obligatione nonnulla afferamus.

## DE OBLIGATIONE.

Obligationem iuniores appellant,cũ nec neceſſaria, nec impoſſibili re propoſita, de ea ſic diſputant,ut propoſitiõem cuſtodiant, quam & ob ruditatem inſcitiamq́ ſordeſcere iam fecerunt, & ad nihil aptam. Theſis ergo quædam (quã nos diffinitiõem in rhetoricis nominamus) obligatio eſt:quam qui defendit,idcirco dicitẽ obligatus,ꝙ non licet ei quicq̃ aſſerere, quod contra id quod poſuit,eſſe uideatur. Quam ad rem præcepta etiam quædam afferunt rhetores, mea ſententia utiliſſima, Nam qui ea negligunt aut eiſdẽ obtorte & nequicq̃ utuntur, eos uideo tanq̃ pueros aut omnino rudes,modo hoc,modo illud incõſtanter,ne ſtulte dicam affirmare.Quod ne tibi uel in ſermone,uel in ſcribendo accidat,primo diligenter caue,ne quod ex re quam iam propoſuiſti,ſeq̃tur,uel ex ea ſimul cum uno pluribusue iam datis ignoranter neges,ut ſi hominem dixeris,nõ negabis animal:aut ſi hominem eloquẽtem, non negabis prudẽtem, & ſi hæc probum quoq; uirum eſſe non repugnabis. Contrà uero ſi quid poſitioni repugnat,aut uni pluribusue in diſceptãdo cõceſſis uel quouis modo in ſermone datis, ſemp negandum eſt. Aliter enim nos ipſi cauſſam noſtrã euerteremus, & ex aduerſarij cauſſa nõ ex noſtra diceremns.Ita eloquẽtem quem dixeris, ineptum

negabis. Nam uero & eloquētem ſi imprudentem afferere ſtultitiæ eſt. Ad hæc dāda eſt opera, ne qd afferas ex quo alicuius rei quam iã ꝓtuliſti oppoſitũ eueniat: ut ſi quem inſolentē appellaueris, eundem poſtea coli ab omnibus affirmes. Sequitur enim inſolentiam arrogātia, & hanc odium, quare & inſolentiam. Prẹterea ſi quid ex ijs quæ iam cōceſſa ſunt, & oppoſito eius quod abnuis, uno pluribusuė conficitur. Id uero ſi cum aſſeueratiōe magis affirmandum eſt, ut ſi quoniam omnes homines natura eloquentes credis, artificio magis eloquentem, illud conſtanter proferendũ eſt, nulla te obſeruatione ad eloquentiam iuuari. Semper igitur quicquid ſequitur ex ijs quæ aut ſponte, aut interrogati dedimus, aut etiam coacti conceſſimus, aut oppoſitis eorũ quæ repugnant, uel ſponte cōcedēdum: uel ſi perimendum ducimus, ſponte negabimus. interrogati non cedemus, niſi res plane ſit neceſſaria, uel impoſſibilia ſint ex ui conſecutionis, uel repugnantiæ reſpondendum. Deinde uero ſi eiuſmodi ſunt, quæ iuniores impertinētia dicũt, ex qualitate rerum ipſarum quæ proponuntur reſpondendum ac ut per ſe quod neceſſariũ eſt nunquam negandum, ſic impoſſibile per ſe nunq̃ cōcedendum. Quas ob res ingenio ante totam rem & quidem acriter perſpicere debemus, & ſingula eorum quæ dicimus ita conſideranda, ne quicquid ex quacunq; re conſequatur lateat. Verum quoniam oratoris materia plerunq; ueriſimilis, raro neceſſaria eſt, ac ueriſimilia in utranq; partē nonnunquam trahuntur, aut habent ex altera quoq; parte aliquid ueriſimile, ut ipſa quæ ueriſimilia ſunt,

quandoq; opponi uideantur ut: multi pecuniæ q̃ officij cupidiores ſunt. cui opponitur & uerſimiliter dicitur, quis eſt qui non officij quam pecuniæ cupidior ſit? Quoniam ergo ita ſe res habent, diligenter animaduertendũ eſt, ne ut ignorantes modo hoc, modo illud in eadem diſceptatione dicere uideamur. Quod cum omnium difficillimũ in dicendo ſit, fit facilius, ſi finem quo peruẽturi ſum⁹, mente complectamur, & quicquid dicimus eò dirigamus.

Verum ne quis putet hæc precepta quę breuiter expoſuimus, non tantopere utilia eſſe, non grauabor uel ad doctrinam tuam, uel ad rhetoricorum commendationem exemplorum loco ea dicere, quæ multi ſuo & multitudinis iudicio docti conſtanter aſſerunt. Quos ſi uidebitur, alijs uoluminibus nominatim redarguemus, ut eorum memoria non ut ipſi putant cum ſcientię laude, ſed cum ignorantię culpa, & quidem quouſque lingua Latina (addam & Græca) extiterit, poſteris tradatur. Solent ergo multi rhetoricę artis ignari nobis detrahere, cum eloquentiæ princeps Marcus Tullius multa uolumina ea de re nobis reliquerit, quo neminem unquàm melius rhetoricam docuiſſe aſſerunt. Deinde ſui obliti, cum longius in ſermonẽ proceſſerint, Marcum Tullium aiunt aliter atq; aliter eadem de re ſcripſiſſe, ac in diuerſis uoluminibus diuerſas opiniones tenuiſſe, ex quo rudes & agreſtes homines, confici non uident, confudiſſe ipſum rhetoricam, non docuiſſe. Non dico hæc quod mihi etiam Marcus Tullius confudiſſe

omnia uideatur, ſed quod ex uerbis conſequatur. Idcirco magis mihi ſcribendum fuiſſe uidetur, q̄d Cicero tot opiniones (ut ipſi dicunt) ſecutus ſit, q̄t libros edidit, Quid? quod Agaſo ſcripſit? Turpe ē, inquit, Latinis à Græco homine. Deinde cum multa uelit oſtēdere à maioribus noſtris relicta de facultate dicendi uolumina, Ariſtotelem, Hermogenem, Demoſthenem, ac Iſocraticam ſcholā in medium adducit: qui omnes quoniam Græci fuerūt, non dubito quin uideas irretitum uerbis ſuis teneri aduerſarium. Hæc adijcere placuit, non ut ignorantiam alicuius detegerem (neminem enim nominaui) ſed ut intelligas præcepta hæc obligationis ſemp̄ in omni ſermone ac diſceptatiōe ac multo magis in ſcribēdo conſeruanda. Nunq̄ enim dicere cum aſſeueratione poteris (quod Cicero admonet) niſi quæ dicta ſunt, faciliora tibi exercitatione feceris. Nam qui hæc negligūt, eos uideo alioqui doctos, ea ignorantia ſua ſcripta connectere, ut non pudore affici non ſoleam, quando cum huiuſmodi hominibus ſermo habetur. Quos ſi q̄s reuocare ab erratis uellet, nō ſui uel doctrinæ ipſius gratia, ſed intolerabili quadam arrogātia id eum facere putarent. Quare putreſcant hi quidem ſua inſcitia, quamuis doctis omnibus atq; peritis dedecori ſint, cum inter eos enumerent. Tu uero da operam, ut non hæc ſolum, uerum ut multo maiora & plura conſequaris: ut ratione dicendi recte habita, & maiorum ſciētia rerum non abiecta, uere doctus & ſis & uidearis.

Verum diſiunctiuæ partium repugnantium, & copulatiuæ affirmatiuæ & negatiuæ formæ quæ

ſubijciuntur neceſſariæ ſunt.

## FORMAE DISIVNCTIVAE.

I Aut a eſt, aut b ē,
atqui a eſt,
non igitur b eſt.
II b autem eſt,
non igitur a.
III atqui a non eſt,
b igitur eſt.
IIII b aūt non eſt,
igitur eſt a.
V a non ē, aut b nō eſt,
atqui a non eſt,
eſt igitur b.
VI atqui b non eſt,
eſt igitur a.
VII a autem eſt,
b igitur non eſt,
VIII b autem eſt,
non igitur eſt a.
IX a ē aut b non eſt,
atqui a eſt,
igitur & b.
X b autē non eſt,
neq; igitur a.
XI atqui a non eſt,
igitur neq; b eſt.
XII b autem eſt,
igitur & a eſt,
XIII a non ē, aut b ē,
a autē non eſt,
igitur neq; b.
XIIII b autem eſt,
igitur & a.
XV atqui a eſt,
non eſt igitur b.
XVI b autem non ē,
eſt igitur a.

## FORMAE COPV. AFFIRMATI.

I Et a eſt, & b eſt,
igitur a eſt.
II igitur b eſt.
III neq; a ē neq; b ē.
a igitur non eſt.
IIII b igitur non eſt.
V a eſt, & b nō eſt.
a igitur eſt.
VI b igitur non eſt.
VII a non eſt, & b ē,
a igitur non eſt.
VIII b igitur eſt.

## FORMAE COPVLATIVAE NEGATIVAE

I Non a eſt, & b eſt,
atqui eſt a,
non igitur eſt b.
II atqui eſt b.
non igitur a.
III nõ a nõ eſt, & b nõ ẽ,
ſed a non eſt,
eſt igitur b.
IIII ſed b non eſt,
a igitur eſt.

V nõ a eſt & b nõ ẽ
atqui eſt a,
b igitur eſt.
VI ſed non ẽ b,
neq; igitur a.
VII nõ a nõ ẽ, & eſt b
ſed a non eſt,
igitur neq; b eſt.
VIII atqui eſt b,
igitur & a.

## PRO DISIVNCTIVA ET COPVLATIVA NEGATIVIS REGVLAE QVATVOR.

I Si ponis antecedens, tollis adiunctum.
II Si ponis adiunctum, tollis antecedens.
III Si tollis quod antecedit, ponis adiunctum.
IIII Si tollis adiunctum, ponis quod antecedit.

## PRO COPVLATIVA AFFIRMAtiua regula una.

Copulatiua affirmatiua & antecedẽs & diſiunctum ponit.

F I N I S.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE